יהוה

INSTITUTIO THEOLOGICA
ANDOVER. FUNDAT. MDCCCVII.

PS. CXIX. 169.
כדברך הבינני

JOH. XVII. 17.
ὁ λογος ὁ σος αληθεια εστι·

ΑΚΡΟΓΩΝΙ ... ΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ.

Annin & Smith, sc.

# JOANNIS CLERICI
# EPISTOLÆ
# CRITICÆ,
# ET
# ECCLESIASTICÆ,

In quibus oſtenditur uſus

*ARTIS CRITICÆ,*

Cujus poſſunt haberi

*VOLUMEN TERTIUM.*

*Editio Sexta prioribus emendatior.*

*Acceſſere Epiſtola de* Hammondo *&* Critica, *ac Diſſertatio, in qua quæritur,* an ſit ſemper reſpondendum Calumniis Theologorum.

*Cum quatuor Indicibus.*

*LUGDUNI BATAVORUM,*

Apud SAM. ET JOH. LUCHTMANS.

MDCCLXXVIII.


HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY
MAR 6 1962

# LECTORI
## S. P. D.
# JOANNES CLERICUS.

Statueram, CANDIDE LECTOR, rationem aliquam hic reddere, cur ab alio genere Studiorum & Scriptorum, aliquantiſper ad hæc Eriſtica tranſierim; ſed poſtea ſatius duxi te amandare ad Diſſertationem, quæ calci hujus Operis a me addita eſt; ex qua colligas licet cur a malevolis laceſſitus reſpondeam, aut taceam. Si paullo adtentius legatur, non erit cur me purgare neceſſe habeam. Hominibus quibusdam notæ acerbitatis reſpondit nuper Gallice *Theodorus Parrhaſius*,

 quo-

quorum etiam nonnullis hic aliquid reposui; sed quæ multum absunt ab eorum conviciis ac contumeliis, ut cuivis legenti ac contendenti utraque Scripta, me tacente, satis liquebit. Non debui tamen adversus tantam iniquitatem ac malignitatem adeo insolitam, præsertim ab iis quos non læseram lacessitus, frigide causam agere; ne putarent nonnulli minus prudentes me, præ timore & prava conscientia, non audere loqui, sicut innocentes & Veritatis amantes solent. Verum non recuso damnari, ab omnibus eruditis ac bonis viris; si rationem, qua me tueor, similem Adversario-

riorum iracundis & iniquis Scriptis judicent.

Te præterea, LECTOR, de nulla alia re monitum velim, nisi quod dixi pag. 61. de Interprete Anglico Operis mei *de Incredulitate*, oportere intelligi de uno tantum (nam postea accepi duos fuisse, qui id Opus verterint) cui, nisi fallor, prior pars debetur, & qui nomine amicitiæ, quæ numquam arctior ulla inter nos fuit, apud Anglos quosdam amicos meos abusus est. Antequam hoc rescirem, non poteram vitare invidiam, quam mihi, malis artibus, homo Hibernus creabat; nunc rem palam prædico, ne fi-

fides illi de me ulla habeatur. Eum quidem non averſatus ſum, cum nihil mali antea in eo cognoviſſem, quando anno cIↄ Iↄc xciii paucis hebdomadibus in hac urbe eſſet; ſed cum homine nullam umquam arctiorem contraxi amicitiam. Vale.

*Dabam Amſtelodami, Idibus Decembribus anni* cIↄ Iↄc xcix.

MONITUM ANNI MDCCXII.

Bellam hic occaſionem habebamus reſpondendi *Guil. Cavei* libello, quo ſex prioribus Epiſtolis meis repoſuit; ſed eorum, quæ Diſſertatione, quæ ad calcem eſt, diximus memores, ſilere maluimus. Nihil erat, ut quidem videbatur, quod aut Veritati, aut nobis timeremus. Quare ſilendum dudum cenſuimus, nec ſententiam mutamus.

*Dabam Amſtelodami Calendis Martiis* MDCCXII.

IN-

# INDEX

Eorum quæ hoc Volumine continentur.

*Pa-*

Ve-

EPIS-

INDEX.

FINIS.

# JOANNIS CLERICI EPISTOLÆ CRITICÆ ET ECCLESIASTICÆ.

## EPISTOLA I.

*De injuria* Joanni Clerico *a* Guil. Caveo *illata. Locus ex Vita Gallica* Eusebii, *quo se læsum perperam queritur* Caveus. *Potuisse vere dici eum Encomiastæ, potius quam Historici, munere esse functum, quamvis antea dictum non fuisset. Quod probatur ex Censura* Photii, *in Hypotyposes* Clementis Alexandrini, *quæ non possunt censeri corruptæ; quia quæ in iis castigantur alibi etiam apud* Clementem *occurrunt, suntque constanti ejus doctrinæ consentanea. Tria præterea in ea castigantur a* Caveo *dissimulata. Ex quibus omnibus liquet Virum Doctum laudatorem egisse, non fidum Historicum.*

*Reverendiſſ. atque Illuſtriſſimo Præſuli*

# THOMÆ ARCHIEPISCOPO

## Cantuarienſi,

*Totius Angliæ Primati & Metropolitæ,*

S. P. D.

## JOANNES CLERICUS.

x quo Tibi, ILLUSTRISSIME PRÆSUL, fratrum *Huguetanorum* nomine, non nolenti *Patrum Apoſtolicorum* volumina conſecravi; occupatum maximis negotiis interpellare non ſuſtinui. Ipſe etiam in varia diſtractus vix potui aliis de rebus cogitare; cum nec ingenium, nec vitæ ratio præterea patiantur, ut crebris litteris eorum, quos ceteroqui ſummopere revereor, gratiam ambire videar. At tandem nactus aliquanto plus otii, nec Te uſque adeo impeditum ratus, manum calamo admovendam exiſtimavi; ut, apud Te & apud alios aliquot Reverendiſſ. Præſules Anglos, querelas juſtiſſimas deponerem, de violata adverſum me graviter æquitate, a Viro Erudito *Guil. Caveo*, in

Diſ-

Dissertatione *de Eusebii Cæsariensis Arianismo*, alteri volumini *Historiæ Litterariæ* Tibi dicato subjecta.

Si mihi injuria a Pontificio Scriptore imposita fuisset, minime confugerem ad Episcopos Regni aut Diœceseos, in quibus viveret; cum ab iis nihil æqui soleant impetrare quicumque ab eorum communione secesserunt; imo vero pia ac justa omnia judicentur, quæ fiunt in eos, quos invidioso *Hæreticorum* nomine vulgo infamant. Quærunt, nimirum, illi non quid verum & æquum sit, sed quid rebus, rationibusque suis expediat; utque avide amplectuntur quidquid ad dignitatem, auctoritatemque suam amplificandam conducere posse existimant: ita quæcumque ad alia spectant aut negligunt, aut etiam aspernantur. At Anglorum Præsulum, qui nullo fuco, nec ullis malis artibus indigent, ut dignitatem suam tueantur; aliud est ingenium, alia sunt instituta. Tantum abest ut Veritatem sibi timendam censeant, utque iniquum factum ullum, utilitatis causa, defendendum sibi putent; ut nulla re magis florere se, & suas Ecclesias merito judicent, quam si Veritas omnibus innotescat, & adcuratissime omnes æquitatis leges erga quoscumque a suis observentur.

Hisce ergo fretus, & non dubia justitia causæ, quam apud Te aliosque sum acturus, non dubitavi judicium litis, quæ mihi est cum Erudito Viro, Windesoriensi Canonico, ad vos deferre. Quod profecto a vobis ferri cupio, non ut illi noceam, aut adversario ipsi, apud

apud vos, invidiam creem; sed, ut famam meam tuear, adversus iniquum ejus judicium, similesque contumelias, in posterum forte in me intorquendas ab iniquis hominibus, si fieri queat, antevertam; sin minus, æquiore animo patiar, postquam hanc ita arcuero, nemo ut amplius dubitare possit an sit mihi immerito illata. Nec exspecto, aut expeto ullum ab adversario ipso responsum, cum res dubia non agatur; sed ut secum rem reputet, & videat quomodo facti sui, apud Deum & homines, rationem sit redditurus.

Ab initio Dissertationis, gravem hanc censuram in me stringit: *Utrum cum nostri temporis Arianis, vel potius Photinianis facit, mihi est inexploratum.* Nescire se ait Vir Doctus, utrum faciam cum Arianis, an vero cum Photinianis hodiernis; quibus verbis innuit me alterutris favere, sed non satis constare utris. Quod judicium absurdum simul ac iniquum esse ostendam, si prius originem tantæ acerbitatis aperuero. Tum etiam cetera minoris momenti, quæ mihi objicit, ita, uti spero, diluam; ut, apud æquos omnes judices, me causam obtinere necesse sit.

Profert *Guil. Caveus* ex *Bibliothecæ Universalis* T. x. p. 479. judicium hoc meum, de *Eusebio Cæsariensi*: *Stetit semper a partibus Arianorum, insimulatusque est ab* Athanasio *&* Hieronymo, *quasi eadem cum illis senserit. Ac sane vix intelligi queat hominem recte sentientem usque adeo fauturum fuisse Arianismo, atque de exauctorando* Athanasio *consensurum. Attamen* Socrates *Lib.* 11. c. 4. *purgare eum ad-*

*adgressus est, prolatis aliquot locis, in quibus haud aliter loquitur, ac recte sentientes; quod etiam aliquot hodierni Scriptores fecerunt, inter quos* Guil. Caveus, *in vita Eusebii, quam tum Latine, tum Anglice edidit. Is existimavit hoc a se postulasse caritatem Christianam; at alii credent caritatem Christianam, hoc est, amorem, quem Christianis omnibus debemus, postulare ab omnibus Historicis, ut vera in lucem proferant, quibus nulla mutatio adfertur eorum conditioni, qui vita functi sunt, & quæ multum prosunt iis qui sunt etiamnum in vivis, ut sana de rebus judicia ferre discant. Caritate illa, quæ hic prætexitur, & quæ ad eos dumtaxat* Patres *pertinet, qui recte sensisse de Religione censentur, factum est ut nihil ferme habeamus, præter laudationes Veterum; in quibus constanter prætermissa sunt eorum vitia, quando virtutis cujuspiam larva tegi non potuere.* Vir Doctus ita hæc verba interpretatur, quasi innuere voluerim vitas Patrum ad id exemplum ab eo fuisse scriptas. Qua de re, si recte memini, tunc temporis non cogitabam; nec certe ad eum magis spectant, quam ad alios multos, qui laudes Vetustatis Ecclesiasticæ, potius quam Historias, scripserunt. Imo vero, nisi reus esset hujusce erga Veteres adulationis, nihil hic erat quod ad se pertinere posse existimaret. Ratiocinatio enim mea ad eos dumtaxat spectat, qui dissimulant vitia Veterum, ex occasione eorum quæ dixerat de *Eusebio Caveus;* sed non ad *Caveum* ipsum. Alibi etiam questus sum ita scribi solere Ecclesiasticas Historias, quasi essent lauda-

dationes; in procemio, nimirum, vitæ *Clementis Alexandrini.* At illic nihil de *Caveo*, nec erat cur propterea mihi indignaretur, Forte & alius, aut palam, aut certe tacitus apud ſe mihi gratias egiſſet; quod delictum, cujus ſe reum ſenſiſſet, caſtigaſſem ſine ulla vel minima delinquentis reprehenſione; & quam primum emendaſſet, quod merito notatum animadvertiſſet. At pro gratiarum actionibus, convicia a Vitarum Scriptore accepi. Quin etiam, in vita *Clementis*, profeſſus ſum ingenue me ejus labore libenter uſum, in ea adornanda; nec quidquam de homine aliud dixi, niſi ab eo quædam verba, quæ ſunt *Socratis*, *Clementi* eſſe tributa, quod abſque ulla malignitate a me dictum eſt, ut locus ipſe ſatis oſtendit.

Quare ergo mihi ita ſuccenſuit, ut æternam famæ meæ notam inurere conatus ſit? An moneri noluit, quamvis modeſte & ſine ulla vel minima inſectatione? At æqui hominis non eſt, nec memoris communis humanitatis. An credidit ſuam obſervationem de caritate erga *Euſebium*, quamvis mortuum, confutari molliter non potuiſſe, ſine exiſtimationis ſuæ detrimento? Sed error ejuſmodi non eſt ex eorum numero, qui famam errantium commaculent; nec pars ulla, ut ita dicam, exiſtimationis eſt umquam anteferenda Vero.

Verum, inquit, Clericus *tecte innuit me Vitas Sanctorum Patrum*, Euſebii *ſaltem, ad hunc modum conſcripſiſſe.* Fallitur, eo enim tempore, de nullo Scriptore Hiſtoriæ Eccleſiaſti-

siasticæ singillatim, quidquam animo meo obversabatur. At nunc, re adcuratius expensa, non dissimulabo me in Vitis Patrum ab eo conscriptis diligentiam quidem, elegantiam sermonis, aut eruditionem non desiderare; sed candidam illam Veritatis expositionem, quæ est potissima laus Historici, præsertim Ecclesiastici. At ille *priusquam hæc*, quæ antea protuli ex Vita *Eusebii* a me Gallice conscripta, *in vulgus projicerem, nisi calumniator haberi vellem, quas veritates silentio suppresserit, quibus nævis fictos fucatosque calores obduxerit, quorumnam Vitas* Panegyrice, *potius quam* Historice, *descripserit, me liquido ostendere debuisse.* Non debui eo tempore, quia nullius rei *Caveum* nominatim insimulavi; at nunc faciam, quoniam ita ei libuit; ut intelligatur bonus vir, non alia de causa excanduisse ob monita generalia, de fide Historicorum; quam quia sibi ejus violatæ conscius erat. Nec procul argumenta ejus rei petam; ex *Clementis Alexandrini*, & *Eusebii Cæsariensis* Vitis, quas ipse memoravit, haurientur.

In vita *Clementis*, profert Vir Eruditus judicium *Photii*, de libris *Clementis*, qui *Hypotyposes* inscribebantur, parum honorificum *Clementi*; deinde hunc excusare nititur, non tam ex vero, quam quia dissimulare vitia Patrum statuerat; quod consilium quam periculosum sit & indignum Veritatis amantibus, aliis in litteris, demonstrabo. Ita autem habet *Photius*: (*) Ἔν ποσι μὲν αὐτῶν ὀρθῶς δο-



(*) *Cod.* CIX, p. 286. *Ed. Roth.*

κεῖ λέγειν. ἐν πσι δὲ παντελῶς εἰς ἀσεβεῖς καὶ μυθώδεις λόγους ἐκφέρεται. ὕλην τε γὰρ ἄχρονον καὶ ἰδέας ὡς ἀπό τινων ῥητῶν εἰσαγομένας δοξάζει, καὶ τὸν Υἱὸν εἰς κτίσμα κατάγει. ἔτι δὲ μετεμψυχώσεις καὶ πολλοὺς περὶ τοῦ Ἀδὰμ κόσμους τερατεύεται, καὶ ἐκ τοῦ Ἀδὰμ τὴν Εὔαν, οὐχ ὡς ὁ ἐκκλησιαστικὸς λόγος βούλεται, ἀλλ' αἰσχρῶς τε καὶ ἀθέως ἀποφαίνεται. μίγνυσθαι δὲ τοὺς Ἀγγέλους γυναιξὶ καὶ παιδοποιεῖν ἐξ αὐτῶν ὀνειροπολεῖ, καὶ μὴ σαρκωθῆναι τὸν Λόγον, ἀλλὰ δόξαι. Λόγους τε τοῦ Πατρὸς δύο τερατολογῶν ἀπελέγχεται· ὧν τὸν ἥττονα τοῖς ἀνθρώποις ἐπιφανῆναι, μᾶλλον δὲ οὐδὲ ἐκεῖνον· „ φησὶ γὰρ, λέγεται μὲν καὶ „ ὁ Υἱὸς Λόγος, ὁμωνύμως τῷ πατρικῷ Λό„ γῳ, ἀλλ' οὐχ οὗτός ἐστι ὁ σὰρξ γενόμενος, „ οὐδὲ μὴν ὁ πατρῷος Λόγος, ἀλλὰ δύνα„ μίς τις τοῦ Θεοῦ, οἷον ἀπόῤῥοια τοῦ Λόγου αὐ„ τοῦ, νοῦς γενόμενος, τὰς τῶν ἀνθρώπων καρ„ δίας διαπεφοίτηκε. Καὶ ταῦτα πάντα ἀπὸ ῥητῶν τινων πειρᾶται κατασκευάζειν τῆς Γραφῆς, καὶ ἄλλα δὲ μυρία βλασφημεῖ καὶ φλυαρεῖ, εἴτε αὐτὸς, εἴτε τις ἕτερος τὸ αὐτοῦ πρόσωπον ὑποκριθείς: *In nonnullis quidem recte dicere videtur, in nonnullis vero plane ad impios ac fabulosos sermones delabitur. Contendit enim materiam esse æternam, & ideas quasi a locis quibusdam* (Scripturæ) *inductas. Filium etiam ad creaturæ sortem deprimit. Præterea*

*terea animorum migrationes, & multos ante Adamum mundos absurde commemorat. Ex Adamo quoque Evam, non ut Ecclesiæ libri volunt, sed turpiter atque impie educit. Somniat etiam Angelos cum mulieribus coivisse, & liberos ex iis suscepisse; nec Rationem carnem esse factam, sed videri. Duas autem esse Rationes Patris absurde disserentem eum deprehendere est: quarum minorem vult hominibus conspicuam esse factam, imo ne hanc quidem, ait enim:* Dicitur & Filius Ratio ambigue cum paterna Ratione, sed hæc non est caro facta. Non enim paterna Ratio, sed potentia quædam Dei, quasi effluvium Rationis ejus, mens facta, hominum animos pervasit. *Quæ quidem omnia nonnullis Scripturæ dictis adstruere nititur. Alia etiam sexcenta blasphemat & blaterat; sive ipse, sive alius quispiam, qui personam ejus agit.*

Quid ad hæc *Caveus* noster? *Photius* inquit, (*) *innuit talia aliena manu inserta, ut diserte etiam adfirmat Rufinus Scripta* Clementis *corrupta ab Hæreticis fuisse.* At hæc similiaque dogmata ostendamus exstare in aliis *Clementis* Scriptis, contextaque & connexa esse cum universa ejus doctrina, philosophicis ejusmodi opinionibus referta; an omnia corrupta esse censebuntur, in quibus occurrent? Non opinor; neque quisquam, quod absurdius esset, supposititicia omnia esse ideo contendat. Itaque inanem Photii conjecturam habeamus necesse est; nec dignus est qui au-



(*) *Pag. 199. Vol. I. Vit. Anglic. Patrum.*

audiatur *Rufinus*, manifeſtarius ipſe corruptor Veterum, qui ſic *Origenem* etiam excuſare fruſtra conatus eſt. At audiamus Anglum Vitarum Scriptorem: *Profecto*, inquit, *ſi hi libri ſuiſſent profanis illis ac venenatis dogmatibus Euſebii ævo infecti; vix credibile eſt eum obſcure ſaltem hoc ſignificaturum non fuiſſe. Dignum etiam obſervatu eſt quod Photius animadvertit, hæc aliis ejus libris minime confirmari, imo etiam multa eorum aperte in illis oppugnari.* Verum ſi noſtris oculis ea legamus, quemadmodum dixi, annon his potius credemus, quam *Photio*? An ſilentii *Euſebii*, cujus graves poſſunt eſſe cauſæ, majus erit pondus, apud nos; quam diſertiſſimorum *Clementis* locorum, quos in aliis ejus Operibus etiamnum hodie deprehendimus?

Paucis (*) ſignificavi, & intento dumtaxat ad loca digito, hæc omnia hodieque in libris *Clementis* legi; ſed nunc, a Viro Erudito provocatus, ea proferam.

I. Adgreditur *Clemens* Stromatum Lib. V. (†) probare unum eſſe Principium omnium rerum, etiam ex Philoſophorum ſententia, ſibique hanc objectionem proponit: ἀλλὰ ὕλην ὑποτίθενται οἱ φιλόσοφοι ἐν ταῖς ἀρχαῖς, οἵ τε Στωϊκοὶ, καὶ Πλάτων, καὶ Πυθαγόρας, ἀλλὰ καὶ Ἀριστοτέλης ὁ Περιπατητικὸς, οὐχὶ δὲ μίαν ἀρχὴν: *ſed materiam ponunt Philoſophi, inter principia, Stoïci & Plato, & Pythagoras, imo & Ariſtoteles Peripateticus, non vero* unum

(*) *In Vita Gallica Clementis.* (†) *Pag.* 591.

*unum principium.* Ac sane notum est hosce Philosophos materiam Deo constituisse συναΐδιον. Nec negat *Clemens*, sed respondet, materiam qualitatibus omnibus destitutam statui, ut intelligatur id principium Deo minime æquiparari posse: ἴσασιν οὖν τὴν καλουμένην ὕλην ἄποιον καὶ ἀσχημάτιστον λεγομένην πρὸς αὐτῶν καὶ τολμηρότερον ἤδη μὴ ὂν πρὸς τοῦ Πλάτωνος εἰρημένην: *sciant igitur eam, quæ vocatur materia, ab iis dici esse sine qualitate & forma; præterea & a* Platone *audacius non exsistentem dictam.* Tum recitatis verbis *Platonis* ex *Timæo*: ἄλλως τε, inquit, ἡ λέξις ἡ προφητικὴ ἐκείνη, ἡ δὲ γῆ ἦν ἀόρατος, καὶ ἀκατασκεύαστος, ἀφορμὰς αὐτοῖς ὑλικῆς οὐσίας παρέσχηται: *ceteroqui dictum illud propheticum,* terra erat invisibilis & informis, *occasionem eis præbuit essentiæ materialis.* (*) In eodem libro, minime improbat sententiam *Heracliti* Ephesii, quam hisce verbis describit: Σαφέστατα Ἡράκλειτος ὁ Ἐφέσιος ταύτης ἐστὶ τῆς δόξης. τὸν μέν τινα κόσμον, ἀΐδιον εἶναι δοκιμάσας· τὸν δέ τινα φθειρόμενον, τὸν κατὰ τὴν διακόσμησιν εἰδὼς οὐχ ἕτερον ὄντα ἐκείνου πῶς ἔχοντος, ἀλλ' ὅτι μὲν ἀΐδιον τὸν ἐξ ἁπάσης τῆς οὐσίας ἀϊδίως ποιὸν κόσμον ᾔδει φανερὸν ποιεῖ λέγων οὕτως· ,, Κόσμον ,, τὸν αὐτὸν ἁπάντων οὔτε τις Θεῶν, οὔτε ἀνθρώπων ,, ἐποίησεν, καὶ τὰ ἑξῆς: *Manifestissime Heraclitus Ephesius in hac est sententia, cum existimarit mundum quemdam esse æternum, quemdam corrumpi, sciens eum, qui est exornatus,* non

(*) Pag. 199.

*non alium esse ab eo qui quomodocumque se habet, Ceterum a se quidem cognitum fuisse mundum æternum ex universa essentia, qui æternum qualitate quapiam est ornatus, planum facit sic dicens :* Mundum eumdem universorum neque quisquam Deorum, neque hominum fecit, &c.

Si *Photius* similia legit, in eo *Clementis* Opere, mirari non debemus *Clementem* illi visum esse æternitatem materiæ mundi tribuere; quod ex Philosophiæ Ethnicæ amore nimio facile, ut alia, ei adhærere potuit. *Origenes* ipse nescio quid simile docuisse videtur, quamvis materiam mundi emanationem quamdam æternam a Deo esse scripserit. Qua de re, legendus vir doctissimus *Pet. Dan. Huëtius*, in Origenianis Lib. II. Quæst. 12.

II. Insimulatur *Clemens* a *Photio*, quod crediderit esse *Ideas*, *quasi a locis quibusdam*, Scripturæ, nimirum, *inductas*. Sic enim τὰ ῥητὰ intelligenda ostendunt duo alia exempla, quæ sunt in hoc ipso *Photii* judicio : estque ejus vocis potestas ea frequens, apud Patres. Male verterat *And. Schottus*, *decreta*, quod nonnullos fefellit. *Clemens* autem cum (*) alibi Ideas Platonicas, quasi Scripturæ, nobis obtrudit, tum etiam Lib. V. (†) Stromat. ubi de loco, in quo Abrahamus mactare adgressus est Isaacum : μακρόθεν οὖν ἀκολούθως ὁρᾷ τὸν τόπον· δυσάλωτος γὰρ ἡ χώρα τοῦ Θεοῦ. ὃν χώραν ἰδεῶν ὁ Πλάτων κέκληκεν,

ὡς ἂν

(*) *Lib. IV. & VI.* (†) Pag. 583.

παρὰ Μωσέως λαβὼν τόπον εἶναι αὐτὸν, ὡς τῶν ἁπάντων καὶ τῶν ὅλων περιεκτικόν: *Eminus ergo conſequenter videt locum; eſt enim Dei regio captu difficilis, quem adpellavit* Plato χώραν ἰδεῶν, *hoc eſt, idearum regionem, cum a Moſe eum accepiſſet eſſe locum, ut qui omnia & univerſa contineat.* (*) In eodem libro, adlatis verbis Moſis de creatione: ἆρ' οὐ δοκεῖ σοι ἐντεῦθεν ὁ Πλάτων ζώων ἰδέας ἐν τῷ νοητῷ ἀπολείπειν κόσμῳ καὶ τὰ εἴδη τὰ αἰσθητὰ καὶ τὰ γένη δημιουργεῖν τὰ νοητά; εἰκότως ἄρα. ἐκ γῆς μὲν τὸ σῶμα διαπλάττεσθαι λέγει ὁ Μωσῆς, ὃ γήϊνόν φησιν ὁ Πλάτων σκῆνος: *Nonne videtur tibi hinc* Plato *animalium ideas in intelligibili relinquere mundo, & formas ſenſiles & intelligibilia fabricare genera? Merito igitur ex terra quidem corpus formari dicit* Moſes, *quod* terreſtre tabernaculum *vocat* Plato, &c.

III. Si quid fuiſſe dicatur in libris ὑποτυπώσεων, quod redoleret ſententiam, quam poſtea *Arius* defendit; id non magis mirum videri poterit, quam nonnulla loca quæ in Stromatum Opere leguntur. Sic (†) Lib. V. Sapientiam, quæ omnia permeat, ait eſſe πρωτόκτιστον τοῦ Θεοῦ, *primum a Deo creatam.* Libro vero VII. (‡) ſic deſcribit Filii naturam: τελειοτάτη δὴ καὶ ἁγιωτάτη καὶ κυριωτάτη καὶ ἡγεμονικωτάτη, καὶ βασιλικωτάτη, καὶ εὐεργετικωτάτη ἡ Υἱοῦ φύσις, ἡ τῷ μόνῳ παντοκράτορι ΠΡΟΣΕΧΕΣΤΑΤΗ: *perfectiſſima &*

(*) *Pag.* 593. (†) *Pag.* 591. (‡) *Pag.* 702.

*& sanctissima, & dominio, imperio, regnoque dignissima & beneficentissima Filii natura, quæ est solo omnipotenti* PROPINQUISSIMA. Illa propinquitas naturæ diversitatem saltem numericam, non ταυτότητα ejus, innuere, & ejus distinctio a *solo omnipotente* aliquid eo minus indicare videtur. Quare hic quoque potuisset *Photius* Arianismum olfacere; quod contigit viro doctissimo *Dionysio Petavio* Dog. Theol. T. 2. Lib. I. c. 4. Scio quæ possint & soleant dici, ut sensus commodus in hisce verbis inveniatur; at satis mihi est ex ejusmodi dictis suspectas Hypotyposes *Photio* fieri potuisse, quamvis *Clementis* genuinum opus fuerint.

IV. Existimabat *Plato*, certis annorum periodis exactis, occidere & renasci formam hanc mundi adspectabilis, sæpiusque ante nos renovatam fuisse; quod multis in *Politico* persequitur. Similia sensisse si dicatur *Clemens*, nihil statuetur quod non belle consentiat cum perpetua ejus consuetudine exscribendi dogmata philosophica, quæ ei cum doctrina Christiana non plane ἀσύςατα videbantur. Quin & hoc ipsum dogma probare videtur Lib. V. Stromatum, (*) ubi, prolatis Stoïcorum & *Platonis* sententiis, subdit se primo Stromate ostendisse Græcorum Philosophos merito dici *fures*, qui a Mose ac Prophetis præcipua dogmata parum grato animo acce-

(*) *Pag.* 549. *& seq.*

accepiſſent. *Euſebius* etiam *Platonicam*, hac de re, doctrinam, quaſi cum Chriſtiana conſentientem profert. Præp. Evang. Lib. XI. c. 34.

Sed & aperte docuit *Origenes*, *Clementis noſtri* diſcipulus, Lib. II. & III. περὶ ἀρχῶν, ab ultima æternitate mundos alios aliis ſucceſſiſſe, & porro per totam æternitatem ſucceſſuros. Loca ejus, ne quæſtioni ſint, collegit vir eruditiſſimus *P. Dan. Huëtius*, loco laudato. Quid igitur mirum, talia etiam, apud *Clementem Origenis* magiſtrum lecta? Ut nemo propterea *Origeni* libros de *Principiis* abjudicarit: ſic nec *Clementis* Hypotypoſes ideo corruptas jure cenſuerit.

V. Idem *Plato*, in Convivio, fingit homines primos fuiſſe ἀνδρογύνους, & quidem duplices, cum geminis capitibus, quatuor manibus & pedibus &c. Deinde eos fuiſſe in duas partes diviſos, & in duos homines distinctorum ſexuum ſejunctos. Ut ex *Platone* Rabbini nonnulli hæc deſumſerunt, prout a viris eruditis obſervatum ad Gen. II, 21: ita & *Clemens* ex eodem Philoſopho hauſta, detorta ſimiliter pro more ſuo Scriptura, confirmare potuit.

VI. Si damnandus eſt *Clemens*, aut Hypotypoſes ejus corruptæ fuiſſe cenſendæ, quod in eo Opere dicerentur Angeli amore mulierum capti fuiſſe & liberos ex iis ſuſcepiſſe; idem ferendum erit judicium non de Stromatibus modo, ſed & de multorum aliorum Ve-

terum

terum Scriptis. Quoniam res eſt vulgo nota, loca *Clementis* dumtaxat indicabo. Conſulatur ergo Pædagogi Lib. III. Cap. 2. ſub finem, & Stromat. Lib. III. p. 450. ac Lib. V. p. 550. Similia ſenſerunt *Juſtinus*, *Athenagoras*, *Euſebius*, *Methodius*, *Tertullianus*, *Cyprianus*, *Lactantius*, *Ambroſius*, & alii, quorum verba ſuppeditabit *Dionyſ. Petavius* Theol. Dogmat. T. III. Lib. 3. C. II.

VII. In loco *Clementis*, quem profert *Photius*, ſermo non videtur fuiſſe de incarnatione Chriſti, ſed de Mentibus a ſumma Dei Ratione creatis, quæ corpora humana induunt. Hæc ejus eſt ſententia, tria eſſe quæ vocantur λόγος, ſeu *Ratio*, 1. Patris ipſius æterni proprietatem, quæ non deſcendit in hominum corpora, ut in iis mens humana fieret, quemadmodum ſenſiſſe videntur Stoïci: 2. Filium, qui a Joanne Λόγος etiam vocatur, & qui nec ipſe in hominum corpora eſt diviſus, ut Mentes iis ſuppeditet: 3. *Ratio* humana, ſeu Mens, quæ eſt potentia Dei, & Rationis ejus effluvium, in homines diviſum. Legendus eſt ſecundus Tomus *Origenis* in Joannem, ubi multa de ambiguitate vocis Λόγος.

Erat candidi Scriptoris Photianam Cenſuram diligenter expendere, nec tam facile concedere interpolatas fuiſſe Hypotypoſes Clementinas; quod nonnulla in iis occurrerent a *Photio* damnata, aut minus vera, aut ſpecie tenus falſa. Hinc etiam intelligere potuiſſet Lector, cur *Euſebius* non memorarit

quæ

quæ *Photio* displicuerunt, & quemadmodum intelligendæ sint laudes in *Clementem* congestæ. *Eusebius*; *Origenis* admirator & discipulus, non poterat carpere in *Clemente* quod in *Origene* minime improbabat. Quod si *Clemens* ab aliis laudatus est, laudes illæ pertinent ad ejus mores, & variam lectionem Scriptorum Ethnicorum, non ad judicium, aut singularem recte ratiocinandi facultatem; quibus, nisi verum dissimulare velimus, fatendum *Clementem* minime excelluisse.

Hæc potuissent facile a Viro Docto animadverti, & digna erant quæ Lectoribus pensitanda proponerentur. Debuisset *Clemens* nobis ex ipsius Scriptis pingi, qualis re vera fuit; non qualis fuisse fingitur, ex testimoniis Veterum non satis recte intellectis, aut fortasse etiam benignioribus æquo. Quod si factum esset, nemo dixisset (*) *extollere eximium hunc virum, post tantas laudes a Veteribus in eum congestas, perinde esse ac facem in meridiana luce accendere.* Jam hoc satis constare potest, ex iis quæ dicta sunt, & quæ judice *Photio*, & ipso *Caveo*, vocari queant βλάσφημοι τερατολογίαι. Sed nonnulla alia addam; partim in Vita Gallica *Clementis* observata, partim etiam intacta.

Tria igitur sunt, ex quibus intelligere plenius licebit, quæ fuerit indoles *Clementis*. Primum est, eum ex nimia lectione Scriptorum Ethnicorum, amiciorem æquo illis esse



(*) *The liefe of Clemens p.* 197. 3. *Edit.*

factum, ita ut eorum placita a Christiana Religione plane aliena, in nostram Theologiam transferre conatus sit. Quod jam animadvertere licuit, in exemplis antea prolatis, sed uno aut altero dilucidius a me probabitur. Quamvis Eclecticam Philosophiæ sectam se sequi profiteatur, attamen in Stoïcam, ut in ejus vita dixi, propensior erat; qua propensione, factum est ut illorum deliriis Theologiam Christianam incrustare adgressus sit, non una in re. Sic quia Stoïci sapientem suum plane ἀπαθῆ esse fingebant, Alexandrinus Catechistes adfectibus etiam innocuis caruisse, non modo Christum, sed & Apostolos & quemvis γνωστικὸν, hoc est, Religione Christiana penitus imbutum, contendit. Quod somnium ita exprimit Strom. (*) Lib VI. Τοιοῦτος γὰρ ὁ Γνωστικὸς, ὡς μόνοις τοῖς διὰ τὴν μονὴν τοῦ σώματος γινομένοις πάθεσι περιπίπτειν, οἷον πείνῃ, δίψει καὶ τοῖς ὁμοίοις: *ejusmodi enim est qui est cognitione præditus, ut in eos solos incidat adfectus, qui sunt propter conservationem corporis, ut in famem, in sitim & in similes.* Sic de omnibus loquitur, quæ absurda sunt; at absurdiora hæc habet de Christo, in proxime sequentibus verbis: ἀλλ' ἐπὶ μὲν τοῦ Σωτῆρος τὸ σῶμα ἀπαιτεῖν ὡς σῶμα τὰς ἀναγκαίας ὑπηρεσίας εἰς διαμονὴν, γέλως ἂν εἴη. ἔφαγε γὰρ οὐ διὰ τὸ σῶμα, δυνάμει συνεχόμενον ἁγίᾳ. ἀλλ' ὡς μὴ τοὺς συνόντας ἄλλως περὶ αὐτοῦ φρονεῖν ὑπεισέλθοι. ὥσπερ ἀμέλει ὕστερον δοκήσει τινὲς αὐτὸν πεφα-

(*) Pag. 649.

πεφανερῶσθαι ὑπέλαβον. αὐτὸς δὲ ἁπαξαπλῶς ἀπαθὴς ἦν, εἰς ὃν οὐδὲν παρεισδύεται κίνημα παθητικὸν, οὔτε ἡδονὴ, οὔτε λύπη: *Sed in Servatore corpus, ut corpus, necessaria postulasse ministeria, ut conservaretur, ridiculum esset. Comedebat enim, non propter corpus, quod sancta virtute continebatur, sed ne iis, qui una cum eo versabantur, veniret in mentem aliter de eo sentire. Sicut certe postea quidam existimarunt eum specie tenus conspicuum esse factum; ille vero erat omnis prorsus adfectus expers, quem nullus motus adfectus ullius subibat, neque voluptas, neque dolor.*

Nolo hic ex iis verbis consectaria deducere, quæ sponte sua cujusvis Theologi hæc legentis animum subeunt; sed profecto Catechisten hunc nostrum Alexandrinæ juventuti, si talia eam doceret, turpissime imposuisse nemo non videt. Quæ qui legerit, nequaquam mirabitur eum deliria Stoïca, de Apostolis Christi, Lectoribus suis propinare: Οἱ δὲ Ἀπόστολοι ὀργῆς καὶ φόβου καὶ ἐπιθυμίας διὰ τῆς κυριακῆς διδασκαλίας γνωστικώτερον κρατήσαντες καὶ τὰ δοκοῦντα ἀγαθὰ τῶν παθητικῶν κινημάτων, οἷον θάρσος, ζῆλον, χαρὰν, ἐπιθυμίαν, οὐδὲ αὐτὰ ἀνεδέξαντο, ἐμπέδῳ τινὶ τῆς διανοίας καταστάσει, μηδὲ καθοτιοῦν μεταβαλλόμενοι ἀλλ' ἐν ἕξει ἀσκήσεως ἀεὶ μένοντες ἀναλλοίωτοι, μετά γε τὴν τοῦ Κυρίου ἀνάστασιν: *Apostoli autem, cum iram & metum, & cupiditatem, per Dominicam doctrinam, ex uberiore quadam cognitione superassent, ne eos quidem adfectuum*

*motus, qui videntur boni, quales ſunt confidentia, zelus, gaudium, cupiditas, ſuſceperunt; quippe qui, propter ſtabilem quemdam animi ſtatum, nihil penitus mutarentur, ſed in habitu aſcetico ſemper manentes, poſt Domini quidem reſurrectionem, immutabiles eſſent.* Si quis ſtatueret *Clementem Alexandrinum* hominem fuiſſe acris judicii, & qui ſecum ipſe ſemper conſenſiſſet; hinc propemodum poſſet colligere eum Evangelia, aliaque Apoſtolorum Scripta non habuiſſe, quæ nunc exſtant; cum quisquis Novum Teſtamentum non plane oſcitanter legerit, ſciat contraria omnia in eo perſpicue haberi. Sed bene eſt, quod ex ejus Scriptis Novum Teſtamentum, quale nunc habemus, verſatum ab eo fuiſſe manifeſtum ſit. At certe fatendum eſt eum, Stoïcorum præjudiciis occæcatum, in Novo Teſtamento non vidiſſe id quod pueri ipſi vident, videruntque ſemper.

Alterum ſubjiciam exemplum ad Vetus Teſtamentum pertinens, ex quo ſimilia colligere liceret de Veteris Teſtamenti Libris; niſi nobis conſtaret *Clementem*, inanes allegorias ſubinde captantem, proprii & grammatici ſenſus parum ſtudioſum fuiſſe. Certe quiſquis allegoricis nugis non prorſus faſcinatus leget Vetus Teſtamentum, intelliget non exiguam partem Idololatriæ Ethnicorum ſitam fuiſſe in Siderum cultu; ſed *Clemens* contra vult Ethnicis propoſita fuiſſe, ut ea colerent, ſic enim loquitur Stromat. VI. (*) Ἐπειδὴ γὰρ

ᾔδει

(*) *Pag.* 669.

ᾔδει ὁ Θεὸς, ἅτε προγνώστης ὤν, μὴ πιστεύσοντα τοῦτον, οὐδὲν ἧττον ὅπως τήν γε καθ' ἑαυτὸν ἀναδέξηται τελείωσιν, ἔδωκε μὲν Φιλοσοφίαν αὐτῷ, ἀλλὰ πρὸ τῆς πίστεως. ἔδωκε δὲ τὸν Ἥλιον καὶ τὴν Σελήνην, καὶ τὰ Ἄστρα εἰς θρησκείαν· ἃ ἐποίησεν ὁ Θεὸς τοῖς Ἔθνεσι, φησὶν ὁ νόμος· ἵνα μὴ τέλεον ἄθεοι γενόμενοι τελέως καὶ διαφθαρῶσιν, οἱ δὲ, κἀν ταύτῃ γενόμενοι τῇ ἐντολῇ ἀγνώμονες γλυπτοῖς προσεσχηκότες ἀγάλμασι, κἂν μὴ μετανοήσωσι, κρίνονται: *Cum sciret Deus, quippe præscius, hunc* (Gentilem) *non crediturum, nihilo minus ut perfectionem sibi convenientem consequeretur, dedit quidem illi Philosophiam, sed ante fidem. Dedit autem Solem & Lunam & Astra in cultum;* quæ fecit Deus gentibus, *ait Lex, ut ne prorsus sine Deo essent, funditusque perirent. At illi etiam in hoc præcepto vecordes sculptis adhæserunt imaginibus, & nisi resipiscant damnantur.* Paullo post: ὁδὸς γὰρ ἦν αὕτη δοθεῖσα τοῖς Ἔθνεσιν ἀνακύψαι πρὸς Θεὸν, διὰ τῆς ἄστρων θρησκείας: *hæc enim via data fuerat gentibus, ut per Astrorum cultum ad Deum sese erigerent.* Hisce prolatis, non opus est ut *Clementem* benignius sensisse de Philosophia, quam par erat, ostendam. Nunc abs Te quæro, ILLUSTRISSIME PRÆSUL, annon is qui hæc omisit, in Vita *Clementis*, dixitque laudes in eum congerere esse propemodum φῶς ἡλίῳ δανείζειν, videatur Encomiasten,

potius quam Hiſtoricum, egiſſe? Certe ſi ſit hoc fidum Hiſtoricum agere, fateor me quænam ſint fidi Hiſtorici munera ignorare.

Secundo loco, quamquam, ut dixi, multijugis lectionis laudem *Clementi* nolo eripere; profecto præditus non fuit ulla διακρίσει πνευμάτων, cum quaſi *Petri* & *Pauli* genuinos fœtus laudaverit putidiſſimos libros, conſtanti utriusque, & omnium Judæorum doctrinæ contrarios. Ejusmodi fuere Κήρυγμα Πέτρου, & Πρᾶξεις Παύλου, (*) ex quibus nonnulla habet Strom. VI. quæ ſubjiciam, quamvis ſatis nota; ne quærenda ſint, neve Vir Eruditus eadem fiducia, qua hæc omnia reticuit, mihi objiciat loca a me non eſſe prolata Ὅτι δὲ, inquit, οὐ κατ' ἐπίγνωσιν ἴσασι τὸν Θεὸν ἀλλὰ κατὰ περίφασιν (lego παράφασιν) Ἑλλήνων οἱ δοκιμώτατοι, Πέτρος ἐν τῷ κηρύγματι λέγει· „ Γινώσκετε „ οὖν ὅτι εἷς Θεός ἐστιν, ὃς ἀρχὴν πάντων ἐ„ποίησεν, καὶ τέλους ἐξουσίαν ἔχων· καὶ ὁ ἀόρα„τος, ὃς τὰ πάντα ὁρᾷ· ἀχώρητος, ὃς τὰ „ πάντα χωρεῖ· ἀνεπιδεής, οὗ τὰ πάντα ἐπι„δέεται, καὶ δι' ὅν ἐστιν· ἀκατάληπτος, ἀέ„ναος, ἄφθαρτος· ἀποίητος, ὃς τὰ πάν„τα ἐποίησε λόγῳ δυνάμεως αὐτοῦ, τῆς γνω„στικῆς γραφῆς, τουτέστι τοῦ Υἱοῦ. εἶτα ἐπιφέ„ρει· „ τοῦτον τὸν Θεὸν σέβεσθε, μὴ κατὰ τοὺς Ἕλληνας· ὡς δηλονότι τὸν αὐτὸν ἡμῖν σεβόντων

των

(*) Pag. 635.

των Θεὸν καὶ τῶν παρ' Ἕλλησι δοκίμων, ἀλλ' οὐ καθ' ἐπίγνωσιν παντελῆ τὴν τοῦ Υἱοῦ παράδοσιν μεμαθηκότων· Μὴ τοίνυν, φησὶ, σέβεσθε, οὐκ εἶπον, Θεὸν ὃν οἱ Ἕλληνες, ἀλλὰ μὴ κατὰ τοὺς Ἕλληνας. τὸν τρόπον τὸν τῆς σεβήσεως ἐναλλάττων τοῦ Θεοῦ, οὐχὶ δὲ ἄλλον καταγγέλλων· τί οὖν ἐστι τὸ, μὴ κατὰ τοὺς Ἕλληνας, αὐτὸς διασαφήσει Πέτρος ἐπιφέρων. „ ὅτι ἀγνοίᾳ „ φερόμενοι, καὶ μὴ ἐπιστάμενοι τὸν Θεὸν ὡς „ ἡμεῖς κατὰ τὴν γνῶσιν τὴν τελείαν, ὧν ἔδωκεν „ αὐτοῖς ἐξουσίαν (sic lego, non ἣν & ἐξουσίας) εἰς χρῆσιν, μορφώσαντες ξύλα καὶ „ λίθους, χαλκὸν καὶ σίδηρον, χρυσὸν καὶ ἄργυρον, τῆς ὕλης αὐτων καὶ χρήσεως, τὰ δοῦλα τῆς „ ὑπάρξεως ἀναστήσαντες σέβονται, καὶ τὰ ἑξῆς: *Deum autem nosse, non cognitione clara, sed palpatione, Græcorum probatissimos dicit Petrus in Prædicatione:* Cognoscite ergo unum esse Deum, qui omnibus fecit principium, & finis habet potestatem; qui cum sit inconspicuus, omnia videt; cum capi non possit, omnia capit; quo, cum nullius rei indigeat, omnia indigent, & per quem facta sunt; qui comprehendi nequit, æternus, interitui non obnoxius, non factus; qui omnia fecit verbo potentiæ suæ, Scripturæ mystice intellectæ, hoc est, Filii. *Deinde subjicit:* Hunc Deum colite, non more Græcorum; *quippe virorum probatorum apud Græcos eumdem Deum colentium ac nos, sed qui doctrinam a Filio da-*

 *tam*

*tam perfecta cognitione non acceperant.* Ne ergo, *inquit*, colite, non dixi quem Græci colunt, ſed more Græcorum; *mutans rationem cultus divini, non alium adnuntians. Quid ſit igitur*, non more Græcorum, *Petrus ipſe explicabit, addens:* eos inſcitia abreptos, nec Deum noſcentes, quemadmodum nos, cognitione perfecta, eorum quorum poteſtatem illis fecerat, ut iis uterentur, imagines facientes e ligno & lapide, ex ære & ferro, ex auro & argento, ea, quorum materia & uſus ad eis inſerviendum comparata erant, erecta colunt &c. Paullo poſt, ſic pergit *Clemens:* καὶ ὅτι γε ὡς τὸν αὐτὸν Θεὸν ἡμῶν τε αὐτῶν καὶ Ἑλλήνων ἐγνωκότων Φέρεται πλὴν ἐχ ὁμοίως, ἐποίσει πάλιν ὡδέπως· „ Μηδὲ κατὰ Ἰεδαίες „ σέβεσθε, καὶ γὰρ ἐκεῖνοι μόνον οἰόμενοι τὸν „ Θεὸν γινώσκειν, ἐκ ἐπίςανται, λατρεύον-„ τες ἀγγέλοις καὶ ἀρχαγγέλοις, μηνὶ καὶ σε-„ λήνῃ, καὶ ἐὰν μὴ σελήνη φανῇ, σάββατον ἐκ ἄγεσι τὸ λεγόμενον πρῶτον· ἐδὲ νεομηνίαν ἄγεσι, ἔτε ἄζυμα, ἔτε ἑορτὴν, ἔτε μεγάλην ἡμέραν: *Rem autem ita ſe habere, a nobis ipſis & a Græcis eumdem Deum coli, ſed non ſimiliter, rurſus infert hoc modo:* Neque more Judaïco colite, etenim illi Deum ſolum cognoſcere ſe rati neſciunt ſe colere Angelos & Archangelos, Menſem & Lunam. Nec, niſi Luna conſpecta ſit, agunt Sabbathum, quod vocant primum, neque neomeniam, neque azyma, neque feſtum, neque mag-

magnum diem. Hæc confictus ille *Petrus*, quæ meræ sunt calumniæ in Judæos, eæque profectæ ab homine Religionis Judaïcæ prorsus imperito, & alienissimæ ab ingenio Apostolorum. Quod vel pueri intelligant, ita ut minime necesse sit plura proferre. Qui ejusmodi ridicula Scripta, neque Judaïcæ, neque Christianæ Religionis ingenium redolentia, miscere potuerunt cum genuinis Apostolorum Libris; illi incredibili laborarunt ἀκρισίᾳ, quæ hodie nemini condonaretur.

Eadem imprudentia, bonus *Clemens*, veluti ex *Paulo*, sequentia habet haud multo post. Δηλώσει πρὸς τῷ Πέτρου Κηρύγματι, ὁ Ἀπόστολος λέγων Παῦλος· „ Λάβετε καὶ τὰς „ Ἑλληνικὰς βίβλους· ἐπίγνωτε Σιβύλλαν, „ ὡς δηλοῖ ἕνα Θεὸν καὶ τὰ μέλλοντα ἔσεσθαι· „ καὶ τὸν Ὑστάσπην λαβόντες, ἀνάγνωτε, καὶ „ εὑρήσετε πολλῷ τηλαυγέστερον, καὶ σαφέστε- „ ρον γεγραμμένον τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ, καὶ καθὼς „ παράταξιν ποιήσουσι τῷ Χριστῷ πολλοὶ βα- „ σιλεῖς, μισοῦντες αὐτὸν καὶ τοὺς φοροῦντας τὸ „ ὄνομα αὐτοῦ, καὶ τοὺς πιστοὺς αὐτοῦ, καὶ τὰ ἑξῆς· *Præter* Petri prædicationem, *declarabit Apostolus* Paulus *dicens*: Sumite Græcanicos libros, intelligite quomodo Sibylla unum Deum esse aperte dicat, & quæ futura sunt. Sumto Hystaspe, legite & invenietis multo clarius & apertius descriptum Filium Dei & qua ratione aciem instruent contra Christum multi Reges, odio eum habentes & eos qui nomen

 ejus

ejus geſtant, & fideles ejus, &c. Hunc locum dudum caſtigavit *David Blondellus*, vir doctus, Operis Gallici de Sibyllis Lib. 1. c. 5. ita ut nihil in gratiam *Clementis* ei reponi poſſe videatur. *Caveus* præſertim non negabit, quin imperite *Clemens* Paulo tribuerit Librum, in quo memorantur Sibyllina oracula, circa tempora Hadriani, ut putat, confiſta.

Alia etiam *παροράματα* *Clementi* exprobrat *Blondellus*, Capite ſequente; qua in re, ut per omnia judicium ejus non probarim: ſic dubium non eſt quin multa merito reprehenderit. Quæ cum ita ſint, nemo non intelliget Virum Eruditum, in Vita *Clementis*, diſſimulationis minime laudabilis reum eſſe; vel ob Cenſuram Blondellianum, quam neſcio an ignorarit.

Tertium addam, quod prætermiſſum non oportuit. *Clemens*, nimirum, Scripturam non modo allegorice interpretatur, ut in Vetere Teſtamento inveniat dogmata & eventus Novi, utque Ethica monita eliciat ex locis aliis de rebus agentibus, quod dudum ſollemne erat Chriſtianis, quibus partim præiverant Judæi; ſed, quod propemodum ſingulare eſt, ut Philoſophorum Ethnicorum placita ex invita Scriptura eliciat. Ejuſmodi eſt locus de Ideis a me antea adlatus, aliique ſimiles. Quod genus interpretandi an ſit viri multæ lectionis neſcio, certe non eſt viri Scripturæ periti. Condonanda hæc ſunt, inquies, Vetuſtati; nec repugno. At non ſunt usque adeo extollendi, qui tam ſæpe venia atque indulgentia noſtra indigent; nec ſunt diſſimulan-

landa ea delicta, si Scriptorum illorum Historiam conscribere adgrediamur.

Nunc esset mihi ad *Eusebium* veniendum, ut ostenderem Virum Doctum haud aliter se erga eum gessisse, ac erga *Clementem*; sed sat longa est Epistola, satisque tædii Tibi, REVERENDISSIME PRÆSUL, jam peperit. Quod quomodo vitarem non videbam, dum enim vulgaria dicuntur creatur peritis tædium, sed dum vulgaria illa alto silentio dissimulantur a *Caveo*, imperitus Lector fallitur, & Encomia pro Historia, inscius legit. Fuerunt igitur pluribus mihi repetenda, ut liqueret, si *Caveum* aperte insimulassem ejus rei, quam sibi occulte objectam, ut putat, tam ægre tulit, non fuisse cur quereretur, curve modeste monenti indignaretur.

(*) Οὗτος μὲν πανάριστος, ὃς αὐτῷ πάντα νοήσει
Φρασσάμενος τάκ' ἔπειτα καὶ εἰς τέλος ἦσιν ἀμείνω.
Ἐσθλὸς δ' αὖ κἀκεῖνος, ὃς εὖ εἰπόντι πίθηται.
Ὃς δέ κε μήθ' αὐτῷ νοέῃ, μήτ' ἄλλου ἀκούων
Ἐν θυμῷ βάλληται, ὃ δ' αὖ ἀχρήιος ἀνήρ.

*Ille quidem ante omnes per se ipse quid utile, quid non*

Qui

(*) *Hesiodus*, in *Oper. vers.* 291.

*Qui videt & longe fines prospectat agendi;*
*Qui bene consultis didicit parere, secundus;*
*At qui consiliis pollet nihil ipse, nec audit*
*Suadentes alios, nullos homo vivit ad usus.*

Viderit ille ad quem ordinem referri malit; ego vero in iis me profiteor esse, qui libenter amicas admonitiones audiunt, & præsertim Tuas, ILLUSTRISSIME PRÆSUL, si quas impertiri mihi digneris. Vale.

*Dabam Amstelodami a. d.* v. *Nonas Julias.* A. C. MDCXCIX.

---

# EPISTOLA II.

Eusebium *non immerito insimulatum fuisse Arianismi. Quod omnes facile ex ejus vita intellexissent, si sine dissimulatione a* Caveo *fuisset scripta. Altera ejus dissimulatio, in proferendo Nicæni II. Concilii judicio.* Henr. Valesius *confutatus. Canon, ex quo intelligere licet quid vere sentiat Scriptor quivis, quid simulet. Calumniæ* Cavei *in* Clericum, *ejusque peroratio confutatæ.*

## EIDEM S. P. D.

## JOANNES CLERICUS.

Pollicitus sum, REVERENDISSIME PRÆSUL, me ostensurum, Vitam *Eusebii*

*sebii* a viro erudito *Guil. Caveo* conscriptam ad idem exemplum, ac Vitam *Clementis*; hoc est, dissimulata nonnulla fuisse, quæ minus honorifica erant Cæsariensi Episcopo, atque ex quibus facile omnes intelligerent Arianis partibus eum favisse. Nunc promissis stabo, quod cum fecero, ostendam, quam immerito gravem calumniam mihi Vir Eruditus impegerit. Res agitur usque adeo manifesta, ut minime necesse sit me ad ingenii Tui acumen, & judicii præstantiam confugere. Sed mihi opus est æquitate Tua, qua Tibi patiaris exponi paullo copiosius, quod Adversarius dissimulavit; ne fiducia ejus in negando ex bonitate causæ, quæ pejor esse non potest, orta videatur. Notissima Historiæ Ecclesiasticæ perito iterum dicam, sed quando ea negantur, quasi ignota essent, etiam invito sunt probanda. Interdum animum subiit Virum Eruditum, eo devenisse confidentiæ, ut negaret, quæ non ignorabat comperta esse iis, qui Historiæ Ecclesiasticæ operam dedissent; quia existimavit me plane ejus esse imperitum, nec umquam demonstraturum quod aliis facile ostendere posset. Alioqui vix intelligebam quî res tam apertæ negari possent, quemadmodum fecit, initio Dissertationis de Arianismo *Eusebii*. Fama etiam est a vestratibus nonnullis vulgo sperni Scripta ferme omnia hominum cis mare viventium. Quod quo jure fieri queat, non quæram; nec negabo mihi perexiguam esse Ecclesiasticarum, juxta ac profanarum litterarum, cognitionem; at quia earum adtigisse me spero elementa, & communi

muni illo sensu, quo a brutis distinguimur, etiam esse præditum; adgrediar ostendere id quod neque eruditionem ullam, neque singulare ingenium postulat; ut sciat *Caveus* esse homines etiam cis mare, quibus non tam facile, quam forte credit, fucus fieri possit. Quod si Anglis quoque os oblinere posse se speravit, erit hoc nobis solatio, quod Windesoriensi Canonico nos incolæ Continentis stipites soli esse non videamur.

In Editione Latina Vitæ *Eusebii*, paucis verbis, describit quod ab eo gestum est, in Synodo Nicæna; ad Symbolum, ejusque subscriptionem quod adtinet. Itaque, ne sibi injuriam fieri queratur, rem petamus ex Anglica, ubi copiosius exponitur; cum præsertim dicta a se, in nupera Dissertatione, repetendo confirmet. Postquam ergo dixit Symbolum a Patribus conflatum fuisse, ita pergit: (*) *Hanc formulam primum* Eusebius *improbavit, remque subtilissime discussit, & de ea disceptavit; sed cum reputasset quanto pluris fieri deberet pax Ecclesiæ, privatis omnibus sententiis, verborumque aucupiis, postridie Symbolum commune conscripsit.* Deinde subjicit ipsam *Eusebii* hac de re Epistolam, qua recitata, negat se quidquam observaturum, nisi *hinc quidem liquere, quidquid contenderent Ariani de novitate vocum Symboli Nicæni, dictionem* ὁμοούσιος, *qua maxime offendebantur, fuisse antiquiorem & usurpatam a Patribus, superioribus Ecclesiæ sæculis; quoties-*

cum-

(*) Pag. 13.

*cumque vero loquitur* Eusebius *de Christo, quasi aliquo sensu creato, ab eo semper intelligi divinam productionem; hoc est, æternam generationem; neque umquam eum negasse Filium esse ejusdem essentiæ ac Patrem, alio sensu; nisi quo in divinam naturam non cadit divisio, aut separatio, quemadmodum in res corporeas.* Denique de verbis quibusdam, quæ sub finem Epistolæ *Eusebii* leguntur, & quibus merus Arianismus perspicue continetur, ut postea ostendam, ita judicat: *Lector præterea animadvertere potest locum illum, sub finem Epistolæ, de Christo qui fuerit actu aut potentia in Patre, confusum esse & obscurum; ac sane integra Periodus, quam uncinis clausimus, non exstat in hac Epistola, prout legitur apud* Socratem, *neque in translatione veteris collectoris* Tripartitæ Historiæ. *Unde manifesto sequitur alterum horum, aut eum locum esse ab iis prætermissum quod periculosus esset, nec posset excusari: aut (quod quidem verisimilius mihi videtur) cum non esset in Autographo hujus Epistolæ, ab aliena manu insertum fuisse. Neque enim impetrare a me possum, ut existimem* Socratem *reum fuisse tantæ simul imprudentiæ & malæ fidei, ut dum integram Epistolam proferre videri vult, resecuerit, aut dissimularit tanti momenti particulam; cum ex Epistola, quæ omnium manibus terebatur, fraudem brevi innotescere necesse esset.*

Hæc habet de subscriptione, deque Epistola *Eusebii Caveus*: quæ imperitiores, qui ejus judicio, magis quam suo, uterentur, facile fal-

fallere queant. Itaque rem paullo adcuratius expendemus. Ante omnia, tenendum est *Eusebium* & ante Synodum Nicænam, & postea, Præsulum Arianorum partibus impense favisse, quod non diffitetur *Caveus* in vita ejus Anglica; & sæpe instar eorum esse loquutum, quod nec negat noster, & multis probavit *Dionys. Petavius* Dogmat. Theologic. T. 2. Lib. 1. Capp. XI & XII. Quæ cum ita sint, facile intelligemus quid sibi velit, in hac Epistola ad Cæsarienses; quos docere cupit se non alio sensu subscripsisse Symbolum, quam qui optime stet cum pristina sua, hoc est, cum Arianorum sententia. Post Epistolæ præfationem, *Eusebius* (*) profert Confessionem fidei a se conscriptam, in qua nihil est quod Ariani facile non comprobarent; profitetur enim dumtaxat se credere εἰς ἕνα Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν τοῦ Θεοῦ Λόγον, Θεὸν ἐκ Θεοῦ, φῶς ἐκ φωτὸς, ζωὴν ἐκ ζωῆς, υἱὸν μονογενῆ, πρωτότοκον πάσης κτίσεως, πρὸ πάντων τῶν αἰώνων ἐκ τοῦ Πατρὸς γεγεννημένον, δι' οὗ καὶ ἐγένετο τὰ πάντα: *in unum Dominum Jesum Christum, Rationem Dei, Deum ex Deo, lumen e lumine, vitam ex vita, primogenitum omnis creaturæ, ante omnia sæcula ex Patre genitum, per quem & omnia facta sunt.* Hæc omnia fatebantur Ariani, qui Filium ante omnia sæcula genitum non illibenter dicebant, quod crederent ante eum a Deo procreatum fuisse, quam sæ-

(*) *Num. 2, & 3. in Ed. Athanasiana Anni 1698. pag. 238. T. I.*

fæculis, hoc est, ætati mundi initium fieret; quod tum demum contigit, cum a Filio mundus creari cœpit. Quin etiam non desunt viri docti, qui velint hanc ipsam Confessionem *Eusebii* eam esse, quæ nomine XVII. Episcoporum Arianorum oblata est & a ceteris illico explosa, ut docet *Theodoretus* Lib. I. c. 7. ad quem vide *H. Valesium*. Quod si verum esset, oporteret *Eusebium* rem aliter narrasse, quam par erat; verum nihil definio, & aliorum etiam sententiam, in vita *Eusebii*, sum sequutus, quasi verisimiliorem.

Claudit *Eusebius* suam hanc Confessionem, testificatione qua profitetur se ita credere & docere, atque antea credidisse & docuisse, ne quis eum sententiam mutasse putet: καὶ τοὺς παρεληλυθότας χρόνους οὕτως ἐπιστεύομέν τε καὶ ἐκηρύσσομεν: *præteritis etiam temporibus, sic credidimus & docuimus.* Tum subjicit, exposita hac sua fide, οὐδενὶ παρεῖναι ἀντιλογίας τόπον, *nulli fuisse contradicendi locum*, probatam eam fuisse Imperatori; qui & postea hortatus est Episcopos, ut eam subscriberent, una adjecta voce ὁμοουσίου, quam sic ipse interpretatus est: ὅτι μὴ κατὰ τῶν σωμάτων πάθη λέγοιτο ὁμοούσιον, οὔτ᾽ οὖν κατὰ διαίρεσιν, οὔτε κατά τινα ἀποτομὴν ἐκ τοῦ Πατρὸς ὑποστῆναι· μηδὲ γὰρ δύνασθαι τὴν ἄυλον, καὶ νοερὰν, καὶ ἀσώματον φύσιν σωματικόν τι πάθος ὑφίστασθαι, θείοις δὲ καὶ ἀπορρήτοις λόγοις προσήκει τὰ τοιαῦτα νοεῖν: *non secundum corporum adfectiones dici* consubstantialem, *nempe, neque divisione, neque ulla abscissione*

*ex Patre eum ſubſtitiſſe; neque enim poſſe immaterialem, intellectualem, & incorpoream naturam corpoream ullam adfectionem ſubire, ſed divinis atque inexplicabilibus rationibus talia eſſe intelligenda.* Nec Ariani credebant Filium diviſione, aut abſciſſione corporea, ex Patre natum eſſe. Ideoque *negativo*, ut ita loquar, ſenſu, quem hic habet *Euſebius*, vocem ὁμοούσιος admittere poterant; quatenus illa ſignificabat, in generatione Filii, nullam diviſionem corpoream eſſe factam. Qua de re poſtea pluribus dicam.

Subjicit *Euſebius*, προφάσει τοῦ ὁμοουσίου προσθήκης: *prætextu addendi* conſubſtantialem, a Patribus Symbolum conditum, quod profert. Deinde eos a ſe interrogatos diligenter interpretatos eſſe voces, quibus uſi eſſent. Cum ergo quæſiviſſet quid intelligerent vocibus, ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ Πατρὸς, *ex eſſentia Patris*, & ὁμοούσιον τῷ Πατρὶ, *conſubſtantialem Patri*, (*) τὸ ἐκ τῆς οὐσίας ὡμολογεῖτο πρὸς αὐτῶν δηλωτικὸν εἶναι τοῦ ἐκ μὲν τοῦ Πατρὸς εἶναι, οὐ μὴν ὡς μέρος ὑπάρχειν τοῦ Πατρὸς: *conſentiebant illi voces*, ex ſubſtantia, *ſignificare ex Patre quidem eum eſſe, ſed non partem eſſe Patris.* Quod Arianus non negaſſet; quare eſt ab *Euſebio* conceſſum, qui non videbat cur hæc inficiaretur, cum crederet Filii ſubſtantiam natam eſſe ex ſubſtantia Patris; quod unum ſignificabatur, ſi illi credimus, voce ὁμοούσιος. Ταύτῃ δὲ, inquit,

(*) *Num.* 5.

inquit, ἡμῖν ἔδοξε καλῶς ἔχειν συγκατατίθεσθαι τῇ διανοίᾳ τῆς εὐσεβοῦς διδασκαλίας, ὑπαγορευούσης ἐκ τοῦ Πατρὸς εἶναι τὸν Υἱὸν, οὐ μὴν μέρος αὐτῦ τῆς οὐσίας τυγχάνειν· διόπερ τῇ διανοίᾳ καὶ αὐτοὶ συνετιθέμεθα, οὐδὲ τὴν φωνὴν τοῦ ὁμοουσίου παραιτούμενοι, τοῦ τῆς εἰρήνης σκοποῦ πρὸ ὀφθαλμῶν ἡμῖν κειμένου, καὶ τοῦ μὴ τῆς ὀρθῆς ἐκπεσεῖν διανοίας: *Visum vero est nobis recte habere, si adsentiremus huic sensui piæ doctrinæ, statuentis Filium esse ex Patre, non vero partem esse ejus essentiæ. Ideoque huic sensui & ipsi adsensimus, ne repudiantes quidem vocem* Consubstantialis, *scopo pacis nobis præ oculis obversante, & ne a recto sensu excideremus.* Quæ omnia clare ostendunt *Eusebium* minime adsensum præbuisse τῷ ὁμουσίῳ, prout ea voce significatur naturæ perfecta paritas, quæ fuit sententia Nicænorum Patrum, quam minime commemorat; sed prout tantum significatur Filius non ex alia substantia ortus, quam ex Patris natura, eique similis esse. Ac sane Platonici vocem ὁμοούσιος ita solebant aliquando intelligere. Cum enim substantiam Mentium humanarum minime æquarent Deo, attamen aliquando eas ὁμουσίους Diis esse dictitabant; quod ab iis ortas originem suam aliquatenus referre existimarent. *Plotinus* Ennead. IV. Lib. VII. c. 10. de mente humana, ἀνάγκη, inquit, θεῖον τὸ τοιοῦτον εἶναι, ἅτε θείων μετὸν αὐτῷ, διὰ συγγένειαν, καὶ τὸ ὁμοούσιον: *necesse est divinam esse rem ejusmodi,*

*quippe quæ facultatibus divinis referta ipſa eſt, propter adfinitatem, & naturæ communionem.* Hanc etiam, apud Chriſtianos, ei voci poteſtatem interdum ſubjectam oſtendit Scriptor Libri *de Definitionibus*, qui eſt in Tomo II. *Athanaſii*, inter ea quæ falſo ei adſcribuntur. Poſtquam enim definiit ὁμοούσιον, (*) *quod eſt ejuſdem ſubſtantiæ atque efficaciæ, ſine diſcrimine*, ſubjicit, πενταχῶς δὲ εἴρεται, ὁμοούσιον, καὶ ὁμογενὲς, καὶ συγγενὲς, καὶ ὁμοφυὲς, καὶ ὁμόφυλον. ὁμοούσιον δέ ἐστι τὸ ὂν ἐν τῇ αὐτῇ οὐσίᾳ, ἔχον δέ τινα διαφορὰν, οἷον λίθος σαθρὸς, καὶ λίθος σκληρός· εἰσὶ γὰρ ὁμοούσιοι, τουτέστι μιᾶς οὐσίας, ἔστι γὰρ καὶ ξύλον φοίνικος καὶ ξύλον ἐβένου· ὁμοίως καὶ σὰρξ καμήλου καὶ σὰρξ ἰχθύος· ταῦτα δὲ λέγονται ὁμοούσια, ὅτι τῆς αὐτῆς οὐσίας ἐστίν· ὥσπερ πάντες οἱ ἄνθρωποι τῆς μιᾶς οὐσίας εἰσίν· ἔχουσι γὰρ διαφορὰν τὸ εἶναι ἕτερος μακρὸς, καὶ ἕτερος κολοβός. ἄλλος δυνατὸς καὶ ἄλλος ταλαίπωρος, ἀλλ' ὅμως μίας οὐσίας εἰσὶ, ψυχῆς λέγω καὶ σώματος: *Quintuplici autem ratione dicitur*, conſubſtantiale, *ejusdem generis*, *adfine*, *ejusdem naturæ*, *ejuſdem ſpeciei.* Conſubſtantiale *eſt quod eſt in eadem ſubſtantia*, (genere, vel ſpecie) *etiam habens aliquod diſcrimen*, *ut lapis carioſus & lapis durus. Sunt autem* conſubſtantiales, *hoc eſt*, *unius ſubſtantiæ. Eſt*

(*) *Cap. VII.*

*Eſt quoque lignum palmæ & lignum ebeni; ſimiliter caro cameli & caro piſcis.* Hæc conſubſtantialia *dicuntur, eo quod ſint ejusdem ſubſtantiæ* (genere, aut ſpecie.) *Quemadmodum omnes quidem homines ſunt unius ſubſtantiæ; differunt vero eo quod ſit alius procerus & alius brevis, alius potens & alius miſer. Verumtamen unius ſunt ſubſtantiæ, animi, inquam, & corporis.* Itaque homo Arianus vocem hanc, pacis cauſa, & ne in exſilium pelleretur, admittere potuit; quod rectam, ut putabat, ei poſſet ſubjicere poteſtatem.

Sequentia haud minus evidenter probant *Euſebium*, in Symbolo Nicæno, Arianam inveniſſe ſententiam. Κατὰ τὰ αὐτὰ δὲ, inquit, καὶ τὸ γεννηθέντα καὶ οὐ ποιηθέντα κατεδεξάμεθα, ἐπειδὰν τὸ ποιηθὲν κοινὸν ἔφασκον εἶναι πρόσρημα τῶν ΛΟΙΠΩΝ κτισμάτων, τῶν διὰ τοῦ Υἱοῦ γενομένων, ὧν οὐδὲν ὅμοιον ἔχειν τὸν Υἱόν: *ſimiliter admiſimus voces genitum & non factum, quoniam factum commune eſſe aiebant adjectivum* CETERARUM *creaturarum, quæ per Filium factæ ſunt, & quibus nihil habet ſimile Filius.* In hiſce verbis, Filius numero *creaturarum* cenſetur; nec ab iis ſecernitur, niſi quod a ſolo Patre, ſingulari quadam ratione, ſit procreatus; quod Ariani minime negaverint. Quam in rem, proferam poſtea eorum verba, ex Epiſtola ad Alexandrum Alexandriæ Epiſcopum.

Similia, in ſequentibus, repetuntur, ac

ac tandem in hæc verba (*) contrahuntur: παραστατικὸν δὲ εἶναι, τὸ ὁμοούσιον τῷ Πατρὶ, τὸ μηδεμίαν ἐμφέρειαν πρὸς τὰ γενητὰ κτίσματα τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ φέρειν, μόνῳ δὲ τῷ Πατρὶ τῷ γεγεννηκότι κατὰ πάντα τρόπον ἀφομοιῶσθαι, καὶ μὴ εἶναι ἐξ ἑτέρας τινὸς ὑποστάσεώς τε καὶ οὐσίας ἀλλ' ἐκ τοῦ Πατρός· ᾧ καὶ αὐτῷ τοῦτον ἑρμηνευθέντι τὸν τρόπον καλῶς ἔχειν ἐφάνη συγκαταθέσθαι: *verba vero*, consubstantialem Patri, *significare nullam esse Filio Dei similitudinem cum factis Creaturis, sed soli Patri, qui eum genuit, per omnia similem esse factum; nec esse ex altera quadam hypostasi & essentia, sed ex Patre. Cui voci ita explicatæ bene habere nobis visum est, si adsentiremur.* Hic Arianismus, aut certe Semiarianismus clare exprimitur, quo non perfecta *paritas*, seu ἰσότης, naturæ, sed tantum maxima *similitudo*, ὁμοιότης, inter Patrem & Filium, statuitur. Non dicam ὁμοιότητα non stare cum ταυτότητι οὐσίας vel *unitate numerica substantiæ*, nam una eademque numero substantia non dicitur sibi esse similis. Qua de re, alias videro; sed certum est *Eusebium* ita interpretari Symbolum Nicænum, ut, si ejus fuisset is sensus, quem dicit, Ariani id subscribere sententia sua incolumi, non ægre potuissent. Poterant negare Filium esse ἐξ ἑτέρας οὐσίας, quia a solo Patre creatum contendebant, eique ἀφομοιῶσθαι κατὰ πάν-

(*) *Num.* 7.

πάντα τρόπον, *similem factum omni ratione*; qua, nimirum, creatura creatori similis esse potest.

*Postea* sequitur, (*) omnibus probe expensis & explicatis, Anathematismum etiam, sine noxa, potuisse admitti. Qua in re, suspicari non inepte quis possit *Eusebio* animum fuisse Nicænam Synodum irridere; cum eam facientem inducat, quod ab Ario factum anathemate percutit. Certe hoc ita innuit, ut, data opera, ab eo factum esse omnino videatur: sic enim loquitur: καὶ τὸν ἀναθεματισμὸν δὲ τὸν μετὰ τὴν πίστιν πρὸς αὐτῶν ἐκτεθέντα ἄλυπον εἶναι ἡγησάμεθα, διὰ τὸ ἀπείργειν ἀγράφοις χρῆσθαι φωναῖς, διὰ σχεδὸν ἡ πᾶσα γέγονε σύγχυσις καὶ ἀκαταστασία τῆς Ἐκκλησίας· μηδεμίας γοῦν θεοπνεύστου γραφῆς τῷ, ἐξ οὐκ ὄντων, καὶ τῷ, ἦν ποτὲ ὅτε οὐκ ἦν, καὶ τοῖς ἑξῆς ἐπιλεγομένοις κεχρημένης, οὐκ εὔλογον ἐφάνη ταῦτα λέγειν, καὶ διδάσκειν, ᾧ καὶ αὐτῷ καλῶς δόξαντι συνεθέμεθα: *Anathematismum porro illum, qui post Fidem ab illis editus est, nihil noxium habere judicavimus; cum prohibeat ne voces, quæ non exstant in Scripturis, usurpentur; quamobrem ferme tota contigit perturbatio, & dissensio Ecclesiæ. Cum ergo nulla divinitus inspirata Scriptura usa sit vocibus*, ex non exsistentibus, &, fuit aliquando cum non esset, *aliisque ibi subjectis; non visum est rationi consentaneum, hæc dice-*



(*) *Num.* 8.

*dicere & docere; cui rei, cum recta esse videretur, adsensi sumus.* Dum damnandas censet voces Arianas, quod essent ἄγραφοι, aut prorsus desipit, aut eadem de ratione improbat vocem ὁμοούσιος, quæ eodem incommodo laborabat. Ac sane illa ratio damnandi loquutiones Arianorum nequaquam legitur in Anathematismo Nicæno, (*) qualem profert *Athanasius* in Epistola ad Jovianum. Præterea diligenter observandum ab *Eusebio* hic damnari potius loquutiones ἀγράφους, quam dogma iis expressum; quod tamen potissimum damnari volebat Synodus, & cujus solius causa anathema dicebat iis, qui ejusmodi loquutionibus utebantur.

Si superiora Arianismum redolent, (†) sequentia aperte complectuntur, quæ ita habent: ἔτι μὴν τὸ ἀναθεματίζεσθαι τὸ, πρὸ τοῦ γεννηθῆναι οὐκ ἦν, οὐκ ἄτοπον ἐνομίσθη τῷ παρὰ πᾶσιν ὁμολογεῖσθαι τὸ εἶναι τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ πρὸ τῆς κατὰ σάρκα γεννήσεως: *Nec item absurdum judicavimus his vocibus,* non erat antequam genitus esset, *anathema dicere, cum omnes fateantur filium Dei fuisse, priusquam secundum carnem gigneretur.* Merus hic est Arianismus, ex quo Anathematismum interpretatur *Eusebius*, non ex doctrina Nicæna. Verum hæc verba, & sequentia aliquot, de quibus mox agam, Vir Eruditus censet esse ab aliena manu; quia non leguntur apud *Socratem*, neque in *Historia Tripartita.* At primo

(*) *Vide T. I. p. 782. nuperæ Edit.* (†) *Num. 9. & 10.*

mo leguntur apud *Athanasium*, *Theodoritum* & *Gelasium*. Secundo, ad ea manifesto adludit *Athanasius*, in Epist. de Decretis Synodi Nicænæ, (*) non procul ab initio, ubi ita de *Eusebio* loquitur: Καὶ πέπονθέ τι δεινὸν, ὡς γὰρ ἀπολογούμενος κατηγόρησε λοιπὸν τῶν Ἀρειανῶν, ὅτι γράψαντες, ΟΥΚ ΗΝ Ο ΥΙΟΣ ΠΡΙΝ ΓΕΝΝΗΘΗΝΑΙ, οὐκ ἤθελον αὐτὸν εἶναι οὐδὲ πρὸ τῆς ΚΑΤΑ ΣΑΡΚΑ ΓΕΝΕΣΕΩΣ: *Molestum quiddam ei accidit, nam quasi se defendens accusavit in posterum Arianos, quod scribentes*, non erat Filius, antequam gigneretur, *noluerunt eum fuisse, ne ante quidem generationem secundum carnem*. Observaveramus, in vita Gallica *Eusebii* ante decennium edita, *Athanasium*, in hisce verbis, respexisse ad locum *Eusebii* antea prolatum; quod etiam animadverterunt eruditi Monachi Benedictini, qui nuper *Athanasium* ediderunt. An hoc sciverit *Caveus* nescio. Quod si animadvertisset, hæc esset parum honesta dissimulatio; si vero nescivit, male profecto fecit, qui tam acriter invectus est in eum, a quo ab insigni errore revocari potuit. Sed quidquid id est, hunc locum κακοθείας perperam arguit, ut mox copiosius ostendam, postquam sequentia subjecero *Eusebii* verba.

Ait igitur, (†) religiosissimum Imperatorem probasse Filium fuisse, secundum divinam ejus generationem, quæ fuit ante omnia sæ-



(*) *Num.* 9. *pag.* 211. (†) *Num.* 10.

ſæcula, ἐπεὶ καὶ πρὶν ἐνεργείᾳ γεννηθῆναι, δυνάμει ἦν τῷ Πατρὶ ἀγεννήτως, ὄντος τοῦ Πατρὸς ἀεὶ Πατρὸς, ὡς καὶ βασιλέως ἀεὶ, καὶ σωτῆρος ἀεὶ, δυνάμει πάντα ὄντος, ἀεί τε κατὰ τὰ αὐτὰ καὶ ὡσαύτως ἔχοντος: *quandoquidem priuſquam actu fuiſſet genitus, potentia erat in Patre, ratione ingenita, cum Pater ſemper fuerit Pater, & ſemper ſervator; & potentia omnia ſit, ſemperque eodem modo & ſimiliter ſe habeat.* Hinc intelligere eſt quo ſenſu *Euſebius* poſſet fateri, incolumi Arianiſmo, Filium eſſe æternum; quod, nempe, potentia ſemper fuerit, ſi non actu.

Vir quidem Eruditus verba hæc *confuſa atque obſcura* eſſe vult, quia ea interpretatur ex vera, quæ nunc obtinet, ſententia; ſed ex Arianiſmi dogmatibus, ut par eſt, intellecta minime ſunt obſcura. Volebant enim Ariani, non aliter ac ceteri omnes Chriſtiani, in Deo potentia fuiſſe omnes creaturas, antequam actu exſiſterent; ſed ſeorſim ab aliis ſentiebant, in eo quod contendebant inter eas creaturas recenſendum eſſe Filium, cujus ſubſtantiam actu fuiſſe ab omni æternitate ceteri adfirmabant. Igitur non erat cur ſuſpectus propterea hic locus *Caveo* eſſet.

Non poteſt a ſe impetrare ut *Socratem* putet tantæ impudentiæ & uſque adeo malæ fidei, ut reſecuerit hunc locum ex Epiſtola *Euſebii*. Attamen Benedictini Monachi ita de eo cenſent: *Hæc verba* ἔτι μὴν &c. *deſunt apud* Socratem, *quæ forte reticuit, ne* Eu-

Euſebii, *quem ab Ariana Hæreſi, ex hac Epiſtola, purgandum ſuſceperat, cauſam aperte proderet.* Ego vero non dubito, quin ita ſe geſſerit; nec video cur malæ fidei ſuſpectos habere malimus, non modo *Theodoritum* & *Gelaſium*, ſed etiam *Athanaſium*, quam *Socratem;* qui *Athanaſio* quidem certe, hac in re, æquiparari non poteſt, niſi ab imperitis. Neque ſuſpecti poſſunt eſſe *Gelaſius* & *Theodoritus*, qui *Euſebium* Arianum fuiſſe negant.

Quæ cum ita ſint, REVERENDISSIME PRÆSUL, vix quisquam dubitare poſſit *Euſebium*, in hac Epiſtola, id egiſſe, ut Arianis ſuis oſtenderet, ſe ipſorum cauſam minime prodidiſſe, quia ſubſcripſerat Symbolum Synodi Nicænæ. Quamobrem vir callidus, in ipſa Synodo, conatus eſt ab aliter ſentientibus eas explicationes exſulpere, quæ cum Arianismo ſtare poſſent; quod, ut Arianis ſatiſfaceret, multis exponit. Animadvertit hoc partim *Theodoritus*, qui de hac Epiſtola ita loquitur, Hiſt. Eccleſ. Lib. I. cap. 11. γέγραφε δὲ τὴν Ἐπιστολὴν πρός τινας τὰ Ἀρείου φρονοῦντας προδοσίαν, ὡς εἰκὸς ἐγκαλοῦντας αὐτῷ: *Scripſit hanc Epiſtolam ad quosdam, qui cum Ario ſentiebant, proditionis, ut videtur, eum inſimulantes.* Mirum eſt *Theodoritum* non vidiſſe *Euſebium* non purgare ſe, ut par erat, fatendo ingenue ſe meliora fuiſſe edoctum; ſed ſententiam Arianam Symbolo tribuendo; negandoque ſe aliud nunc ſentire, quam antea.

Hinc

Hinc jam liquet, quam imprudenter Vir Doctus in Vita Anglica *Eusebii*, scripserit, (*) *quamvis multi, caritatis immemores, dixerint eum fraudulento ac doloso animo ita se gessisse, dum loquutiones ex sua ipsius sententia intelligit; attamen nihil planius esse posse, quam illum libere & sollemnem in modum testari, in Epistola ad plebem Cæsariensem, se eas interpretatum ex illa ipsa potestate atque explicatione, quam ipsi Patres Concilii illis tribuerant.* Nihil contra manifestius est, quam *Eusebium*, si res gesta est, prout narrat, magna arte ex ore Patrum ea expressisse, quæ cum Arianismo stare possent, iisque fucum fecisse. Quin & ipse satis aperte hoc in clausula Epistolæ significat, in qua Symbolo Nicæno negat quidquam inesse, præter id quod antea professus erat in Confessione Fidei, quam nullus non Arianus probarit; ἀφιλονείκως, inquit, τὰ μὴ λυποῦντα καταδεδέξάμεθα, ὅθ' ἡμῖν εὐγνωμόνως τῶν λόγων ἐξετάζουσι τὴν διάνοιαν ἐμφανῆ σύμπραξιν ἔχειν ἔδοξε τοῖς ὑφ' ἡμῶν αὐτῶν ἐν τῇ προεκτεθείσῃ πίστει ὡμολογημένοις: *Ea quæ nihil offensionis habebant, sine contentione amplexi sumus, postquam nobis verborum sententiam candide examinantibus adparuit ea prorsus cum illis convenire, quæ nos ipsi in Fide a nobis primum exposita confessi fueramus.* Qui artes *Eusebii*, reliquorumque Arianorum, vocum ambiguitate perpetuo abutentium, non olfaciet hac in re; ei quid

(*) Pag. 31.

quid aliud optem non video, præter nasum. Quod si id quod probe olfecit nolit profiteri, ei præterea candidiorem animum precabor. Merito ergo Monachus Benedictinus, vir eruditus, qui vitam Athanasii ejus Operibus præfixam nuper edidit, ad annum CCCXXV. *num.* 12. *Eusebius*, inquit, *Cæsariensis*, *missa ad suos Epistola causam adfert cur ad subscribendum adpulerit animum; multaque* περὶ τοῦ ὁμοουσίου *edisserit, quæ nedum Arianismi ab eo suspicionem dimoveant, dubiam ejus de Verbi generatione fuisse fidem confirment.*

Quisquis superiora expenderit, facile intelliget loca, quæ ab *Eusebio* adferuntur, quasi consentanea doctrinæ Nicænæ, exigui esse ponderis, ad probandum eum cum Synodo sensisse; nam qui potuit, ex Arianorum sententia, interpretari ejus Symbolum, quævis alia verba torquere potuit. Verum hac de re agam paullo post.

Nunc venio ad alteram dissimulationem *Cavei*, qui in Dissertatione de Arianismo *Eusebii*, sic contemtim profert judicium alterius Synodi Nicænæ de Cæsariensi Episcopo, ut sine argumentis ullis hominum Arianismi insimulasse videatur, eo dumtaxat quod Imaginum sacrarum usum improbasset. Atqui ea Synodus ostendit, & ante & post priorem Synodum Nicænam, Arianismum esse ab *Eusebio* propugnatum. (*) *Productus fuerat*, inquit Caveus, *in isthoc Concilio ex Epistola* Eusebii *ad Con-*

(*) *Pag.* 63.

*Conſtantiam Auguſtam, Conſtantini M. ſororem, locus, quo adverſus omnem Chriſti imaginem faciendam erudite diſputat. Cui cum nihil quod opponerent haberent Patres, communis ſtatim exortus eſt clamor,* εἰς ἀδόκιμον νοῦν παραδοθεὶς, καὶ σύμφρων τοῖς τοῦ Ἀρείου θρησκεύουσιν, homo eſt in reprobum ſenſum traditus, ejusdem cum Ario opinionis; eademque cum ejus ſectatoribus ſapiens. *Quaſi, ſcilicet, omnes, quas adfert* Euſebius, *rationes nullius eſſent ponderis, nec flocci penitus faciendæ, in re licet ad Arianismum parum ſpectante, ſi modo ipſe eſſet Arianus.* Plane hæc in re adſentior Viro Docto neganti Hæreſin pondus rationibus detrahere poſſe; undecumque enim exoriatur Veritas, libenter excipienda eſt. Verum probare non poſſum quod omittit objectiones Synodi, quæ præfecto leves non ſunt. Itaque eas hic ſubjiciam integras, ne ſint Tibi, ILLUSTRISSIME PRÆSUL, in Conciliorum Voluminibus quærendæ.

Hæc ergo *Euſebii* verba ex Epiſtola ad Euphrationem proferuntur, Action. V. p. 386. Ed. Regiæ, anni 1636. T. XIX. „ Οὐ
„ γὰρ συνυπάρχειν φαμὲν τὸν Υἱὸν τῷ Πατρὶ,
„ προϋπάρχειν δὲ τὸν Πατέρα τοῦ Υἱοῦ· ἐὰν γὰρ
„ συνυπάρχωσι, πῶς ἔσται ὁ Πατὴρ πατὴρ, καὶ
„ ὁ Υἱὸς υἱός; ἢ πῶς ὁ μὲν πρῶτος, ὁ δὲ δεύ-
„ τερος; ὁ μὲν ἀγέννητος, ὁ δὲ γεννητός; δύο
„ γὰρ ἐξ ἴσου ὁμοίως ἀλλήλοις συνυπάρχοντα ἰσό-
„ τιμα ἂν νοοῖντο· καὶ ἤτοι ἄμφω, ὡς ἔφην,
„ ἀγέννητα, ἢ ἑκάτερα γεννητά. ἀλλ' οὐδέτερον

„ πρό-

„ τούτων ἀληθές. οὔτε γὰρ τὸ ἀγέννητον, οὔτε τὸ
„ γεννητὸν ἂν εἴη. ἀλλὰ τὸ μὲν πρῶτον καὶ κρεῖττον
„ καὶ τάξει καὶ τιμῇ τοῦ δευτέρου ἡγεῖται, ὡς ἂν
„ καὶ τοῦ εἶναι, καὶ τοῦ τοιῶσδε εἶναι τῷ δευ-
„ τέρῳ αἴτιον γεγεννημένον : *non enim coëxsiste-*
„ *re Filium Patri, sed ante fuisse Patrem,*
„ *quam Filium, dicimus. Nam si coëxsis-*
„ *tunt, quomodo erit Pater pater & Filius fi-*
„ *lius? Vel quomodo unus quidem primus,*
„ *alter vero secundus est? & alter quidem*
„ *ingenitus, alter autem genitus? Duo quip-*
„ *pe si ex æquo similiter coëxsistant, & æqua-*
„ *liter honorantur; intelligi datur aut utrum-*
„ *que, ut dixi, ingenitum, aut utrumque*
„ *genitum esse. Sed neutrum eorum verum.*
„ *Neque enim essent ingenitum & genitum;*
„ *sed unum quidem primum & præstantius,*
„ *& ordine & honore, secundum antecedit;*
„ *quippe quod causa fuit secundo & exsisten-*
„ *di & ita exsistendi.* Cum hæc Synodus
esset exsecrata, quasi Ariana, recitata sunt
& sequentia ex eadem Epistola: „ Τὸν αὐ-
„ τὸν δὲ καὶ μόνον ἀληθινὸν εἶναι διδάσκει δι' ὧν
„ φησιν· ἵνα γινώσκωσί σε τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεόν.
„ οὐχὶ ὡς ἑνὸς ὄντος μόνου τοῦ Θεοῦ, ἀλλ' ὡς ἑνὸς
„ ὄντος μόνου ἀληθινοῦ Θεοῦ, μετὰ προσθήκης ἀναγ-
„ καιοτάτης τοῦ ἀληθινοῦ. ἐπεὶ καὶ αὐτὸς Θεὸς μὲν
„ ὁ Υἱὸς, ἀλλ' οὐκ ἀληθινὸς Θεός· εἷς γάρ ἐστι καὶ μό-
„ νος ἀληθινὸς Θεὸς, διὰ τὸ μὴ ἔχειν πρὸ αὐτοῦ τινά·
„ εἰ δὲ καὶ αὐτὸς ὁ Υἱὸς ἀληθινὸς, ἀλλ' ὡς εἰκὼν τοῦ
„ ἀληθινοῦ Θεοῦ εἴη ἂν καὶ Θεός. ἐπεὶ καὶ Θεὸς ἦν
„ ὁ Λόγος, οὐ μὲν ὡς ὁ μόνος ἀληθινὸς Θεός:

*Eum-*

„ *Eumdem autem & solum verum esse do-*
„ *cet, per ea quæ ait:* ut sciant te so-
„ lum verum Deum; *non quasi unus solus*
„ *sit Deus, sed quia unus est* verus Deus,
„ *cum additamento pernecessario* veri. *Nam*
„ *& ipse quidem Filius Deus, sed non* ve-
„ rus Deus; *unus enim est & solus,* verus
„ Deus, *eo quod non habeat ante se quem-*
„ *quam. Quod si & ipse Filius* verus *est,*
„ *at sicut imago veri Dei, erit Deus, quan-*
„ *doquidem &* Deus erat Ratio, *non tamen*
„ *ut solus verus Deus.* Hic ipse est locus,
quem Arianismi insimulat non immerito
*Athanasius.*

At in Actione VI. ejusdem Synodi, p. 520. prolato *Eusebii* loco contra imagines; hoc judicium de homine recitat ex Scripto Epiphanius Diaconus: Τίς οὐκ ἔγνω τῶν πιστῶν τῆς Ἐκκλησίας καὶ γνῶσιν εἰληφότων τῶν ἀληθινῶν δογμάτων, ὅτι Εὐσέβιος ὁ Παμφίλου εἰς ἀδόκιμον νοῦν παραδοθεὶς, ὁμόδοξος καὶ σύμφρων γέγονε τοῖς τὰ Ἀρείου θρησκεύουσιν ἐν πάσαις ταῖς ἱστορικαῖς αὐτοῦ βίβλοις ΚΤΙΣΜΑ τὸν Υἱὸν καὶ Λόγον τοῦ Θεοῦ ἀποκαλῶν, καὶ ΥΠΟΥΡΓΟΝ καὶ ΔΕΥΤΕΡΟΝ προσκυνητέον; *Quis fidelium Ecclesiæ & eorum, qui verorum dogmatum notitiam perceperunt ignorat* Eusebium Pamphili, *in reprobum sensum traditum, ejusdem sententiæ, & consentientem fuisse cum iis qui Arii dogma sequuntur? In omnibus quippe historicis suis libris,* CREATURAM *Filium & Rationem Dei vocat, &* MI-

NIS-

NISTRUM & SECUNDUM *adorabilem.* Postea profertur & alius locus, ex Epistola ad *Euphrasionem;* qui fortasse idem est ac qui *Euphration* Act. V. & apud *Athanasium* dicitur, quamvis Epistola non sit eadem, ut liquet ex diversis initiis, quæ in Act. V. & VI. proferuntur. Hæc autem sunt verba *Eusebii:* „ ἐ μὴν συνυπάρχειν φαμὲν τὸν Υἱὸν τῷ Πατρὶ, „ προϋπάρχειν δὲ τὸν Πατέρα τῦ Υἱῦ πλὴν αὐ-„ τὸς ὁ πάντων μᾶλλον ἀκριβῶς ἐπιςάμενος „ Υἱὸς τῦ Θεῦ, ἕτερον ἑαυτὸν εἰδὼς τῦ Πατρὸς καὶ „ μείω καὶ ὑποβεβηκότα, εὖ μάλα εὐσεβῶς „ τῦτο καὶ ἡμᾶς διδάσκει λέγων· ὁ Πατὴρ ὁ „ πέμψας με μείζων μυ ἐςι· καὶ μεθ' ἕτερα· „ ἐπεὶ καὶ αὐτὸς μὲν Θεὸς ὁ Υἱὸς ἀλλ' οὐκ „ ἀληθινὸς Θεός: *dicimus Filium non coëx-„ sistere Patri, sed Patrem priorem esse Filio.* „ *Quin & ipse Filius Dei, qui adcuratius om-„ nibus rem novit, alium se a Patre, mino-„ remque & inferiorem sciens, admodum pie* „ *hoc etiam nos docet dicens:* Pater, qui me „ misit, major me est. *Et post alia: nam &* „ *ipse quidem Filius Deus est, sed non verus* „ *Deus.*

Nequis vero objiceret subscriptionem Symboli Nicæni, ita pergunt: Εἰ δέ τινες τῦτον διεκδικῦντες λέγυσιν ὑπογράψαι ἐν τῇ συνόδῳ, δῶμεν ὕτως εἶναι, ἀλλὰ τοῖς χείλεσιν αὐτῦ τὴν ἀλήθειαν τετίμηκεν, ἡ δὲ καρδία αὐτῦ πόῤῥω ἄπεςιν ἀπ' αὐτῆς, ὡς δεικνύυσι τά-

τι συγγράμματα καὶ ἐπιστολαὶ αὐτοῦ πᾶσαι· εἰ γὰρ ἄλλοτε ἄλλος κατὰ τοὺς καιροὺς καὶ κατὰ τὰ πράγματα συνεφύρετο καὶ μετεβάλλετο, ποτὲ μὲν ἐπαινῶν τοὺς τὰ Ἀρείου φρονοῦντας, ποτὲ δὲ τὴν ἀλήθειαν ὑποκρινόμενος, ἀποδείκνυται κατὰ τὸν ἀδελφόθεον Ἰάκωβον ἀνὴρ ὢν δίψυχος, ἀκατάστατος ἐν πάσαις ταῖς ὁδοῖς αὐτοῦ· καὶ μὴ οἰέσθω ὅτι λήψεταί τι παρὰ Κυρίου: *Si qui eum defendentes dicant ſubſcripſiſſe eum in Synodo, demus ita eſſe; at labiis veritatem honoravit, animus vero longe ab ea aberat, ut oſtendunt Scripta ejus & Epiſtolæ omnes; licet alias alius, ſecundum tempora & res, miſceretur ac mutaretur, aliquando laudans ſentientes cum Ario, aliquando veritatem ſimulans, adpareat, ſecundum fratrem Dei Jacobum* vir duplici animo & inconſtans in omnibus viis ſuis; *nec exiſtimet ſe accepturum quidquam a Domino.* Hæc eſt clavis, qua aperitur occulta *Euſebii* ſententia, qui ubi loquitur cum vulgo, non continuo id dicit quod ſentit: ubi vero oppugnat dogmata conſecrata, ex animo loqui cenſendus eſt, ut poſtea oſtendam.

Rationem ejus rei ſubjiciunt Patres illi Nicæni, quæ digna eſt auditu: Εἰ γὰρ καρδίᾳ ἐπίστευσεν εἰς δικαιοσύνην, καὶ στόματι ὡμολόγησεν εἰς σωτηρίαν τὸν ἀληθῆ λόγον, πάντας ὑπὲρ τῶν συγγραμμάτων αὐτοῦ συγγνώμην ᾐτήσατο, τούτων τὴν ἐπανόρθωσιν ποιούμενος· καὶ ὑπὲρ τῶν ἐπιστολῶν αὐτοῦ, λόγον ἀπολογίας ἐποιή-

σα-

σατο ἄν· ἀλλ' οὐδαμῆ οὐδαμῶς τοῦτο πεποίηκεν· ἔμεινε γὰρ ὡς Αἰθίοψ μὴ ἀλλάξας τὸ δέρμα αὐτοῦ· ἐν γὰρ τῷ ἑρμηνεύειν αὐτὸν τό. Εἶπα τῷ Κυρίῳ, Κύριός μου εἶ σύ· ἔξω τῆς ἀληθοῦς γνώσεως ἐκβεβηκὼς, οὕτως φησί. „ νόμοις φύσεως „ παντὸς Υἱοῦ Πατὴρ Κύριος ἂν εἴη αὐτοῦ, „ διὸ καὶ τοῦ μονογενοῦς Υἱοῦ τοῦ Θεοῦ ὁ γεν„ νήσας αὐτὸν Θεὸς εἴη ἂν αὐτοῦ καὶ Θεὸς ὁμοῦ, „ καὶ Κύριος, καὶ Πατήρ: *Si enim corde credidiſſet ad juſtitiam, & ore confeſſus eſſet in ſalutem verum ſermonem, utique pro Scriptis ſuis veniam petiiſſet, hæcce corrigens; & pro Epiſtolis ſuis defenſionem protuliſſet. Sed hoc nulla ratione, nec umquam fecit, manſit enim, ut Æthiops, minime mutata cute ſua. Cum enim interpretaretur,* dixi Domino, Deus meus es tu, *egreſſus vera cognitione ſic dicit: „ legibus „ naturæ omnis Filii Pater Dominus ejus ſit „ neceſſe eſt. Itaque & unigeniti Dei Filii „ Patrem, qui eum generavit, oportet ſi„ mul eſſe ejus Deum, & Dominum, & Pa„ trem.*

Deinde proferuntur verba ex ejus Epiſtola ad Alexandrum Alexandriæ Epiſcopum, in quibus Arium, ejusque doctrinam tuetur *Euſebius:* ὡσαύτως δὲ καὶ ἐν τῇ πρὸς τὸν ἅγιον Ἀλέξανδρον ἐπιστολῇ τὸν καθηγητὴν τοῦ μεγάλου Ἀθανασίου, ἧς ἡ ἀρχή· „ μεθ' ὅσης μὲν „ ἀγωνίας, καὶ μεθ' ὅσης φροντίδος ἐπὶ ταῦ„ τα ἦλθον τὰ γράμματα· τρανώτατα βλασ„ φημιῶν οὕτω φησὶ περὶ τοῦ Ἀρείου καὶ τῶν σὺν αὐ-

,, τῷ. καὶ κατηγορεῖ αὐτῶν τὰ γράμματα, ὡς λε-
,, γόντων, ὅτι ὁ Υἱὸς ἐκ τοῦ μὴ ὄντος γέγο-
,, νεν ὡς εἷς τῶν πάντων. οἱ δὲ προσήνεγκαν ἑαυ-
,, τῶν γραμματεῖον, ὃ πρὸς σε πεποιήκασιν·
,, ἐν ᾧ τὴν ἑαυτῶν πίστιν ἐκθέμενοι αὐτοῖς ῥήμα-
,, σι τάδε ὡμολόγουν. τοῦ νόμου, καὶ προφητῶν
,, καὶ καινῆς διαθήκης Θεὸν γεννήσαντα Υἱὸν μο-
,, νογενῆ πρὸ χρόνων αἰωνίων, δι' οὗ καὶ τοὺς
,, αἰῶνας καὶ τὰ πάντα πεποίηκε· γεννήσαντα
,, δὲ οὐ δοκήσει, ἀλλὰ ἀληθείᾳ· ὑποστήσαντα
,, ἰδίῳ θελήματι ἄτρεπτον, καὶ ἀναλλοίωτον,
,, ΚΤΙΣΜΑ τοῦ Θεοῦ τέλειον, ἀλλ' οὐχ ὡς ἓν
,, τῶν κτισμάτων. εἰ δὲ οὖν τὰ παρ' αὐτῶν γράμ-
,, ματα ἀληθεύει, πάντως δὲ παρά σοι φέρε-
,, ται· ἐν ᾧ ὁμολογοῦσι τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ πρὸ χρό-
,, νων αἰωνίων, δι' οὗ καὶ τοὺς αἰῶνας πεποίηκεν,
,, εἶναι ἄτρεπτον, καὶ κτίσμα τοῦ Θεοῦ τέλειον
,, ἀλλ' οὐχ ὡς ἓν τῶν κτισμάτων. ἡ δὲ σὴ ἐπι-
,, στολὴ κατηγορεῖ αὐτῶν ὡς ἂν λεγόντων ὅτι ὁ
,, Υἱὸς γέγονεν ὡς ἓν τῶν κτισμάτων· αὐτῶν
,, τοῦτο μὴ λεγόντων, ἀλλὰ σαφῶς διορισα-
,, μένων ὅτι οὐχ ὡς ἓν τῶν κτισμάτων· ὅρα εἰ
,, μὴ εὐθὺς πάλιν αὐτοῖς ἀφορμὴ δίδοται εἰς τὸ
,, ἐπιλαβέσθαι καὶ διαβάλλειν ὁρμᾶσθαι ὅσα καὶ
,, θέλουσι. πάλιν αὐτοὺς ᾐτιῶ λέγοντας ὅτι ὁ
,, ὢν τὸν μὴ ὄντα ἐγέννησε. θαυμάζω δὲ εἰ δύ-
,, ναταί τις ἄλλως εἰπεῖν. εἰ γὰρ εἷς ἐστιν ὁ ὤν,
,, δῆλον ὅτι ἐξ αὐτοῦ γέγονε πᾶν ὅ, τι καὶ ἔστι

,, μετ'

,, μετ' αὐτόν· εἰ δὲ μὴ μόνος αὐτός ἐστιν ὁ ὤν,
,, ἀλλὰ καὶ Υἱὸς ἦν ὁ ὤν, καὶ πῶς τὸ ὄντα ὁ ὢν ἐγέν-
,, νησεν; οὕτως γὰρ ἂν δύο εἴη τὰ ὄντα: *Simili-
ter autem & in Epistola ad sanctum, A-
lexandrum, præceptorem magni Athanasii cu-
jus est initium*, cum quanta anxietate & quan-
ta solicitudine ad has litteras venerim, *aper-
tissime blasphemans sic loquitur de Ario & iis
qui cum illo erant:* ,, *accusant eos litteræ tuæ*
,, *tanquam dicentes* Filium ex non exsistenti-
,, bus factum esse, sicut unum ex omnibus.
,, *At illi protulerunt Epistolam quam ad te de-
,, derant, in qua fidem suam explicantes, ipsis
,, verbis hæc confitebantur*, Legis ac Prophe-
,, tarum & Novi Testamenti Deum genuisse
,, Filium unigenitum, ante tempora mundi,
,, per quem & omnia & mundum fecit; ge-
,, nuisse autem eum non specie tenus sed ve-
,, re subsistentem, propria voluntate, immu-
,, tabilem & inconvertibilem, CREATU-
,, RAM Dei perfectam, sed non sicut u-
,, nam ex creaturis. *Si ergo litteræ ipsorum
,, vera profitentur, scriptum omnino apud te
,, etiam eorum fertur, in quo confitentur* Fi-
,, lium Dei ante tempora mundi, per quem
,, & mundum fecit; esse immutabilem &
,, creaturam Dei perfectam, sed non ut u-
,, nam creaturarum; *tum vero Epistola eos in-
,, simulat, quasi dicentes Filium factum fuisse*
,, sicut unam creaturarum; *cum hoc non dixe-
,, rint, sed clare definierint*, non esse instar
,, unius creaturarum. *Vide an non protinus
,, illis occasio detur adgrediendi, reprehenden-*

 ,, *di*

„ *di & calumniandi quæcumque voluerint. I-*
„ *terum eos accusabas dicentes*, ab eo qui erat
„ genitum esse eum qui non erat. *Mirum si*
„ *quis aliter dicere possit. Si enim unus est*
„ *qui erat, manifestum est ex eo fuisse quid-*
„ *quid est post eum. Si autem ille solus non*
„ *est qui erat, sed & Filius etiam erat, quo-*
„ *modo existentem is qui erat genuit? Sic fuis-*
„ *sent duo quæ erant.*

Antequam ad *Caveum* redeam, breviter hic confutabo quæ de hoc judicio Nicæno habet *Henr. Valesius*, vir eruditissimus, in Vita *Eusebii*. Pro more plerorumque omnium, qui Scriptorem quempiam illustrare adgressi sunt, *Eusebii* sui honori vehementer patrocinatur; ne laboris, quem in ejus Historia vertenda & explicanda exantlaverat, ulla in re, minueretur pretium. Itaque non potuit concoquere judicium II. Synodi Nicænæ, quamvis Canones ejus rati in Ecclesia Romana habeantur. *Non agebatur*, inquit, *de* Eusebii *fide in illa Synodo, sed de imaginum cultu. Ad quem subvertendum, cum adversarii paullo ante, in urbe regia, congregati, testimonium ex* Eusebii *ad Constantiam Epistola protulissent, eoque maxime niterentur; Patres VII. Synodi, ad elevandam hujus testimonii auctoritatem adclamarunt* Eusebium *Arianum fuisse. Verum id obiter tantum, ex occasione & odio illius Epistolæ, ab eis factum est, non autem data opera, aut causa prius cognita.* At causam satis cognorant, qui parata habuere insignia illa *Eusebii* loca, quæ recitata sunt, qui sciebant ante a nobis commemora-

ra-

rata, legerantque *Eusebii* Scripta. Sensit hoc partim vir summus, quamobrem subjicit: *Proferunt quidem loca quædam ex Eusebio, quibus adprobent illum Ariano dogmati adhæsisse.* Sunt loca minime dubia, & quæ cum Nicænis decretis in concordiam nulla ratione redigi possunt; nec, ut objectioni ex *Eusebio* petitæ satisfieret, opus fuit omnia ejus Scripta legi. *Sed nullum*, inquit *Valesius*, *discrimen adhibent inter libros ante Concilium Nicænum, & eos qui post illud Concilium sunt ab Eusebio elaborati; quod tamen fieri omnino debuerat, ut de Eusebii fide certum ac legitimum judicium promeretur. Quæcumque enim ante Nicænam Synodum scripta sunt Eusebio objici & imputari non debent.* Fallitur vir doctissimus, quia *Eusebius*, ut ostendi, constanter negavit se aliud sensisse, ante Synodum, aliud post editum ejus Symbolum; quod tamen statuit *Valesius*. Deinde quamvis Epistola, ad Alexandrum Alexandriæ Episcopum, scripta sit ante Synodum, nullo indicio constat cetera loca deprompta non esse ex Libris post Synodum scriptis.

Hæc integra proferre & contra *Valesium* tueri non piguit; ut liqueret a *Caveo* dissimulatas gravissimas objectiones contra *Eusebium*, adeoque querelas non satis justas effusas, quasi nonnisi falso dissimulationis incusari posset. Rem Tibi, ILLUSTRISSIME PRÆSUL, & omnibus veri amantibus expendendam relinquo.

Ex hisce autem colligere mihi posse videor Criticum Canonem, ex quo intelligere licebit

bit inania esse quæcumque adferuntur ad purgandum *Eusebium* a labe Arianismi, ex iis locis, in quibus videtur consentanea doctrinæ Nicænæ docere. Ita autem habet Canon: *Quotiescumque Scriptor quispiam loquitur ex sententia & consuetudine vulgo recepta, non est semper putandus cum vulgo sentire; præsertim si periculosum sit dissensum ullum ea in re testari, aut ambiguæ sint loquutiones; ac si ab ea sententia, vel ab usitatis formulis aliquando manifesto recedat, tum vero ex animi sententia loqui censendus erit.* Prior pars Canonis dubia non est, primo quia satis constat homines eruditos, aut prudentia, aut timiditate adductos, sæpe malle cum vulgo loqui; quam sibi molestias, aut etiam graves calamitates creare. Jam autem nemo negabit *Eusebio* non licuisse, tempore Synodi, impune dissentire a Patribus Nicænis; ut ostendit exemplum *Theonæ* & *Secundi*, propterea missorum in exsilium. Secundo, ambiguitatibus passim usos Arianos nemo dubitet, nisi qui Historiam eorum temporum numquam legerit. Legatur hanc in rem liber *Hilarii* de Synodis, ubi plura occurrent exempla, ex quibus constabit verissimum esse judicium quod de Arii discipulis tulit, ad VII. Anathematismum Orientalium: *Confusis, permistisque verbis veritatem frequentissime Hæretici eludunt, & incautorum aures communium vocabulorum sono capiunt.* Ita se gessisse *Eusebium*, in examine ejus ad Cæsarienses Epistolæ, satis, nisi fallor, ostendi. At potuit tamen, inquies, *Eusebius* ex animo Syno-

no-

nodo adſentiri, quamvis diſſentientibus propoſitæ eſſent graves pœnæ, ſolerentque Ariani ambiguitatibus ludere adverſarios. Non nego, ſed cum prius aperte faviſſet Arianis, negaritque poſtea a ſe ſententiam eſſe mutatam, & ſenſum Arianum Symbolo Nicæno tribuerit; non intelligo quomodo ex ſola ſubſcriptione eum purgare poſſimus. Ad quod ſi accedat, quod vexando *Athanaſio*, Arianisque partibus defendendis operam dederit, quam primum licuit per Imperatorem; jam non *caritas Chriſtiana*, ſed ſpontanea cæcitas eum abſolvet.

Quod multo manifeſtius erit, ſi alteram Canonis partem adtendamus. Cum enim *Euſebius* refertus ſit loquutionibus & ratiocinationibus disſidentibus a placitis, formulisque Nicænis, præſertim in Libris *contra Marcellum* & de *Theologia Eccleſiaſtica*, ut oſtendit inter alios *D. Petavius* Tom. II. Theologicorum Dogmatum, nec ipſe *Caveus* diffitetur; quis, niſi ſponte ſua cæcutiens, non videat hominem ex animo loqui, cum Arianiſmo conſentanea habet; cedere vero temporibus, cum Nicænis decretis videtur favere? Igitur non opus eſt ut loca illa excutiam, in quibus videtur cum Nicæna Synodo ſentire (quamvis facillimum eſſet oſtendere nihil in iis eſſe quod ab ore, animoque Ariano proficiſci non potuerit) cum ea loca ex aliis potius ſint intelligenda.

Quæ cùm dubia non ſint, ceteras partes Diſſertationis *Caveanæ* non expendam. Sed querar primum, quod inſcripſerit Diſſertatio-

 nem

nem ſuam *contra Joannem Clericum*, non vero *contra Athanaſium*, *Euſtathium*, *Marcellum*, *Epiphanium*, *Hilarium*, *Hieronymum*, *Antipatrum*, *Nicœnam II. Synodum* &c. *Baronium* item, *Petavium*, *Sirmondum*, *Vigerum*, aliosque doctisſimos viros; quos fatetur ante me ſimilia ſenſiſſe, & quorum nonnulli, ut *Petavius*, ex profeſſo adgreſſi ſunt oſtendere *Euſebium* Arianum fuiſſe, cum rem tantum obiter adtigerim. Hæccine eſt *Caritas Chriſtiana*, qua inviſi redduntur vivi, ut parcatur mortuis; quibus nec calumniæ, nec veritas amplius nocere poſſunt? Hæccine eſt *Caritas Chriſtiana*, qua, pro æquiſſimis & modeſtiſſimis monitis, redditur graviſſima invidia? Parum mea intereſt, an *Euſebius* Arinus fuerit, necne, qui cum Arianis minime ſentio, imo eos in gravi errore verſatos exiſtimo; & qui fidem meam ex ſolis Novi Teſtamenti Tabulis pendere profiteor, non ex *Euſebii* aliorumve Patrum Scriptis. Sed exiſtimavi minime eſſe disſimulandum quod mihi perſpicuum videbatur, ut & aliis ante me viris doctisſimis.

Attamen hoc meum, de *Euſebio*, judicium, & quod exiſtimarit Vir Eruditus me ſubobſcure apertisſimas disſimulationes ſuas carpſiſſe, ita ejus iram in me moverunt; ut præterquam quod me ex turba tot adverſariorum delegit, in quem unum tela conjiceret, atrox illico ab initio Diſſertationis judicium tulerit: *utrum cum noſtri temporis Arianis, vel potius Photinianis facit, mihi eſt inexploratum.* Ut hoc judicium non penitus

ri-

ridiculum esse deprehendatur, oporteret me sic loqui solere, ut intelligere nemo posset utrum Arianis, an vero Photinianis faveam, sed ita ut alterutris necessario patrociner; nam si hoc vellet *Caveus*, nullum sibi argumentum esse, ex quo colligeret, me cum Arianis aut Photinianis facere, tum vero me ab ejusmodi criminatione absolveret. Quænam autem sunt loca, in quibus ita loquutus sum, ut necesse sit me voluisse Arianis, aut Photinianis gratificari? Nulla. Nusquam quidem illis invidiam facere, spreta veritate atque æquitate, conatus sum; sed nusquam etiam in eorum gratiam quidquam dissimulavi, quod in iis reprehendi posset. Nihil de illis eorum infensissimis adversariis, simpliciter adfirmantibus, credendum censui; sed nec Hæreticis ullis fidem habui, adversariis detrahentibus. Solius Veritatis rationem habendam censui & etiamnum censeo, abjecto omni partium studio; quod si sit *facere cum* Hæreticis, *faciat Caveus* cum *Orthodoxis*, contrariis artibus. Ei nequaquam invidebo.

Præterea nemo possit ita loqui ut ambiguum sit faveatne Arianis, an Photinianis; cum eorum dogmata sint ἀσύςατα, cumque Scripturam soleant aliter prorsus interpretari. Olim Ariani anathema dicebant Photinianis, nec alii ferme, præter Arianos, *Photinum* sede sua expulerunt, anno CCCLI. Si Photiniani tanto numero fuissent, quanto erant Ariani, non minus fortasse adversarios damnassent. Nec hodie Ariani, & Photiniani, aut Unitarii, ubicumque sint, magis inter se

con-

consentiunt. Ideoque absurde Vir Eruditus sibi exploratum esse negavit utris faverem, cum tam acriter diffideant. Verum ego eum docebo, si me audire velit, quod mihi multo magis exploratum est; nimirum, me cum neutris facere. Nec Arianorum probo sententiam, nec eam rationem, qua Photiniani Scripturæ loca de Christi Divinitate interpretantur. Nusquam confutavi Arianos, quod nesciam an ulli sint hodie, inter Christianos, nec libros ullos eorum viderim, præter Scripta aliquot *Christophori Sandii;* quæ nec magni facio, & quorum farrago paucos, nisi fallor, decipiet. Interpretationes vero Socinianorum, quos videtur *Caveus Photinianos nostri temporis* vocare, non semel oppugnavi, ad loca nobilissima Novi Testamenti, ut ad initium Evangelii Joannis, & ad Coloss. 1, 15. Hæc *explorata* oppono *inexploratis Cavei* suspicionibus.

At subjicit id *certum esse* Vitas aliquot Patrum in *Bibliotheca universali* a me Gallice editas, *nostri temporis Arianorum, vel Photinianorum cura versas fuisse, & in lucem emissas, quin & in hanc, quam habent Angli, formam redactas.* Verum sancte & liquido jurare possum me consilium hoc eorum, qui Vitas a me scriptas verterunt in Linguam Anglicam, penitus ignorasse; nec scivisse quidquam simile factum, nisi diu postea. Interpres eorum nec ad me umquam scripsit, nec ego ad illum; quem nec de facie, nec nomine certo novi. Ante paucos dies, accepi hominem esse Gallum, qui albusne an ater sit nescio.

Ei

Ei nec temerario judicio nocere velim, nec gratias agere possum; ob translationem, quam numquam vidi. Non puto tamen aut Arianum, aut Socinianum esse; certe neutram harum opinionum, ex meis libellis, haurire potuit.

Ceterum absurdum est & iniquum Scriptori libri tribui dogmata ejus Interpretum, aut *Editorum*, ideo tantum quia ejus librum interpretati sunt, aut in lucem emiserunt; nec vellet *Caveus* haberi *Presbyterii* patronus, quia ejusmodi homines nonnulla ejus Scripta in Linguam Belgicam transtulerunt, aut ediderunt.

Audivi nonnullos ex meis libellis in Anglicam Linguam esse versos ab hominibus, quorum nec sententiam, nec mores ullo modo probarim, si vera sunt quæ de iis sparguntur. Dicitur nonnemo vertisse Opus meum *de Incredulitate*, qui plane alienus esse fertur a Fide, quam propugnandam mihi suscepi. Cujus hominis nec amicus umquam fui, nec ero; donec mihi constet falsa esse, quæ de illo feruntur, aut ad meliorem frugem eum rediisse. Nullum cum eo amicitiæ commercium colui, quod ab illo tamen, ut se se apud nonnullos, quos videbat non male sentire de me, venditaret, audacissime jactatum audio; cum dixerit se in ædibus meis vixisse, & discipulum meum fuisse, qui a me quæcumque sentirem accepisset; quæ omnia sunt turpissima mendacia, ut sciunt omnes, quibus paullo notior sum. Possem etiam & ea proferre, in quibus inscius hominis auda-

daciſſimum & abſurdiſſimum quoddam conſilium prorſus anteverti. Sed malo illi saniorem mentem precari, quam invidiam augere, quam ſibi ſat magnam conflavit. Hæc obiter dicenda fuere, quia Vir Eruditus mihi objecit Interpretes opuſculorum meorum; ne, ſi tacerem, ſimilia forté alius objiceret, neve hujusmodi maligne captati a malevolis rumuſculi pro rebus compertis haberentur.

Nunc veniendum mihi ad perorationem Viri Eruditi. *Si Euſebius*, inquit, *non fuit Arianus, ipſum calumniæ evertitur fundamentum*; quod, nimirum, Encomiaſten egerit *Caveus*, non Hiſtoricum. At *Euſebius fuit Arianus*, ut vel cæco patet; unde conſequens eſt, ut ei adulatus ſit *Caveus*. Sed quamvis cum Nicænis Patribus ſenſiſſet, non minus inſimulari potuiſſet Vir Doctus diſſimulationis minime laudandæ; ut ex *Clementis* vita liquido oſtendi, ejus provocatione coactus.

*Quin ſi in incerto adhuc res eſſet, quænam amabo in me culpa erit, quod tantum virum a tam atroci crimine conarer liberare? Quod Socrati, Theodorito, Gelaſio, quod Valeſio, Montacutio &c. licuit, cur non & mihi liceat?* Quaſi vero idem reponere non poſſim! Profecto, ſi nullæ aliæ ſuppeterent mihi rationes, *Athanaſium*, *Hieronymum* & alios ſummos viros, veteres & recentiores, tam ego ſequi potui, quam ille eos quos commemorat; & Arianum cenſere hominem, quem Ariani omnes ſuum eſſe putarunt, & doctiſſimi quique aliter ſentientium, qui æquales, aut

aut fuppares illi fuere. Sed ex ipfa lectione Scriptorum *Eufebii*, res eft manifefta, ut oftendi, non *in incerto*, ut vult *Caveus*, pofita. Quamobrem nuper eruditus Monachus Benedictinus, qui vitam *Athanafii* edidit Operibus ejus præfixam, hoc de *Eufebio* judicium fert, ad annum CCCXXIII. *num* 4. *Poftquam ad Arianam defcivit opinionem, haud femel, in Scriptis fuis, ejus femina confperfit; ad* Euphrationem *enim Balanææ Epifcopum refcribens non timuit palam efferre*, Chriftum non effe verum Deum. *Hujus porro Epiftolæ fragmentum exftat in Actione quinta Synodi Nicænæ* II. *ubi aperte ait*, una non exfiftere cum Patre Filium, fed effe Patrem & ordine & honore priorem. *Et in Actione fexta, habetur aliud fragmentum, ex ejusdem Epiftola ad Alexandrum Alexandrinum, ubi blafphemam illam Arianorum vindicat opinionem, qua dicebant* effe Filium rem a Patre creatam. *Quare vereor ne aërem verberare videantur, qui ab ejusmodi homine nituntur Arianismi fufpicionem dimovere.* Idem Monachus etiam alibi teftatur, & præfertim in Admonitione ad libellum *Athanafii*, de fententia *Dionyfii Alexandrini*: *Quod autem*, inquit, Eufebius, *qui Dionyfii gefta fufe fatis profequitur, ne verbum quidem de hac Hiftoria fecerit, hinc fane augetur jam vulgata de ipfo, nimisque firma Arianismi fufpicio. Callide profecto tacuit hærefi fuæ exitiofam hiftoriam, quam incautius, ut ait Athanafius, alii Ariani in fuam perniciem evulgarunt.* Sic, hoc in negotio, ipfos Pontificios candidiores effe nonnullis Proteftanti-

bus

bus videmus. Scio quidem Virum Doctum suspicari Pontificios solere adversari *Eusebio*, quod nonnulla scripserit Romanæ sedi minus placentia. Quæ suspicio ferri posset, si primi illi cœpissent *Eusebium* insimulare Arianismi, aut non superessent in ejus Scriptis certissima ejus indicia. At si vellem suspicioni similiter indulgere, nihil vetaret me dicere quosdam ex iis, qui *Eusebium* olim & nuper Arianorum numero eximere voluerunt, non tam Veritatis studio adductos fuisse, quam cupiditate eripiendi eruditissimum suæ ætatis virum Arianis partibus, quæ eo gloriabantur; cum præsertim soleant objicere Arianis traditionem Patrum secundi & tertii sæculi, quasi perspicuam & universalem; quæ dubia fieret iis, qui reputarent hominem illius ævi, in superiorum monumentis omnium versatissimum, Arianis favisse. Sic passim multa, quia conducunt causæ, non quia comperta est eorum veritas, defenduntur ab hominibus minus veri amantibus, aut non satis peritis earum artium, quibus solis Veritatem nos decet tueri.

At ego ad Arianismum damnandum neque traditione illa nitor, neque puto mea interesse *Eusebium* his, aut illis partibus favisse. Quamobrem nullo æstu partium, nullo præconcepto judicio hac in re præpedior; quominus Veritatem quæram, inveniam, atque profitear. Imo vero, si *Caveus* potuisset purgare *Eusebium*, libenter faterer me antea errasse; quippe qui famam meam multo magis pertinacia lædi putem, quam aperta confessio-

sione erroris, cui omnes obnoxii sumus. Sed redeo ad *Caveum*, qui ita pergit: *Accedit denique ad vituperii cumulum, quod Vitas Sanctorum Patrum* panegyrice, *non* historice *descripserim. At unde id liquet? quibus indiciis, quibus exemplis defenditur? Volvantur & revolvantur Scripta mea, & num ita sit dicant æqui judices. Ubinam, sodes, toties objecti sermones panegyrici? Ubinam laudationes immodicæ? Ubinam ficta, falsave encomia? Immo quid non stricte & usquequaque verum, &, favente omnium Eruditorum suffragio, Veteribus concessum?* Quam prudentes sint hæ interrogationes, ex iis quæ a me dicta sunt intelligere potes, ILLUSTRISSIME PRÆSUL, aut potius ex lectione ipsa *Clementis* & *Eusebii*. Ea fiducia interrogandi fallere imperitos potest, qui res ipsas non norunt, & vix sibi persuadent hominem male sibi conscium tam confidenter adversarium provocaturum. Forte existimavit fore ut gravioribus occupationibus avocatus tacerem, vel me ignarum plane putavit Antiquitatum Ecclesiasticarum, aut imparatum ab omnibus subsidiis, quæ ejusmodi adsultibus repellendis necessaria sunt. At eruditos certe atque otiosos Lectores timere debuit, ne jam dicam tacitas ipsius Veritatis, apud animum, exprobrationes exhorrescere. Ostendi jam quam multa dissimularit, in *Clemente* & *Eusebio*, & ostendam cum in sequentibus, quæ mihi initio Dissertationis objicit, eamdem personam ita agere, ut mirum sit dissimulationem exprobranti larva tectum ausum esse respon-

dere. Illo enim loco, res manifestissimas & quas ipse alibi fatetur, aut negat, aut mihi exprobrat, quia Veteribus sunt parum honorificæ, ut aliis in litteris copiosius demonstrabo; quasi Historiæ Ecclesiasticæ lex esset vitia & errores eorum, quorum res gestæ scribuntur, dissimulare.

At noster, *quis vero*, inquit, *Clerico jus & auctoritatem dedit Leges biographicas præscribendi*? Ego vero nullas Leges novas præscribo, quæ nonnisi auctoritate singulari imponi aliis possint. Eas quæ semper fuerunt in usum revoco, legesque numquam abrogandas conculcari ægre patior. *Quis nescit*, ut verba *Ciceronis* e Lib. II. de Oratore usurpem, *primam esse Historiæ legem, ne quid falsi dicere audeat; deinde ne quid veri dicere non audeat, ne qua suspicio gratiæ sit in scribendo, ne qua simultatis? Hæc, scilicet, fundamenta nota sunt omnibus;* nisi *Caveo* nostro, qui Leges novas esse putat, & iniquos qui earum observationem exigunt. *Candidi est*, inquit, *ingenuique animi aliena humaniter tractare, & in meliorem partem interpretari.* Candidi & ingenui viri est verum minime dissimulare; humani ignoscere quidem delictis, non vero blandiri peccantibus. Quicumque legerint quæ de *Cavei* Scriptis dixi, in *Bibliotheca Universali*, ea esse propiora multo laudibus, quam vituperationi intelligent; nec me ab eo, in diversa abiisse, nisi humanis verbis adhibitis, & ubi res necessario postulabat.

Si animo carpendi ea scripsissem, alius plane

ne fuisset stylus, & examen multo adcuratius singularum rerum. Numquam, exempli caussa, prætermisissem hanc excusationem *Clementis Alexandrini: Si in hisce libris sint id quod* Photius *adfirmat, pauca quædam hic atque illic* ἐκ ὑγιῶς *dicta; attamen non sunt similia iis quæ legebantur in Hypotyposibus, sed quæ candidam ac benignam interpretationem capere possint; nec multum noxia doctrinæ Religionis aut moribus, & talia quæ occurrere vulgo solent in Scriptoribus primævis.* An sit levis error *Caveo* & qui in bonam partem sumi ab eo possit, quod adfirmat *Clemens* Christum non sensisse dolorem, nescio; at certe si quid simile suspicari liceret, omnis efficacia & præstantia sacrificii & obedientiæ universæ Christi in auras abirent; instar phantasmatum ceterorum, quæ non sunt quod videntur. Expendantur & ceteri errores *Clementis* a me notati, atque ex iis facile intelligere licebit an gravem Censorem egerim Scriptorum *Cavei*, anve prudenter fecerit, cum me ad hasce querelas devenire adegit.

At tandem redit ad fucum, quo dissimulationes in Historia incrustare jam conatus est: *Christianam Caritatem*, inquit, *quam mihi objicit & pene vitio vertit, studiose colo & amplector; nec profiteri erubesco, malle me cum Christiana caritate derideri, quam critico supercilio insolescere, & in alios temere & leviter insultare; neque huic objectiunculæ aliud repono, quam illud Apostoli* 1. *Cor. XIII*, 5, 6. *&c.* Caritas patiens est, benigna est &c. *Quibus consona est æquissima & vetustissima illa*

 *ju-*

*juris Regula*, *in dubiis benigniora ſemper eſſe præferenda.* De Reg. Juris, n. 56. Quaſi vero hic ſermo ſit de *caritate* de qua Paulus, quæ in vivos exercetur, quibus prodeſt; & quibus poſſet nocere nimium veri, ſine neceſſitate, aperiendi ſtudium; aut quaſi obſcurum eſſet, vel dubium, an *Clemens* ſcripſerit quæ ex eo protulimus, anve *Euſebius* Arianis faverit! Quando ſcribitur Hiſtoria, & præſertim antiquiorum temporum, nihil licet diſſimulare, ut jam eum monui, quia nec nocet Veritas mortuis, & multum prodeſt vivis; contra vero diſſimulatio nec juvat vita functos, & vehementer officit iis, qui Hiſtoriam legunt. Quod probare, niſi fallor, neceſſe non eſt. Si *caritas* eo pertineret, ut Hiſtorici diſſimularent vitia ac delicta eorum, quorum res geſtas ſcribunt, & excuſare omnia niterentur; actum eſſet de veritate & candore Hiſtoriæ, nihil præter Encomia, aut Apologias, poſteritati relinqueretur. Si ſimilia ſenſiſſent Hiſtorici Sacri, omnia bonorum & minus bonorum vitia & peccata, æterno ſilentio, obnupſiſſent; nec quidquam haberemus, præter eorum laudes. Sed nihil opus eſt verbis, in re perſpicua; at dignum eſt obſervatu *Caveum*, hoc ipſo in loco, ubi Encomiaſtæ nomen tantopere averſatur, ſeſe Encomiaſten profiteri; tanta eſt vis Veritatis, ut ſæpe ex diſſimulantis ore invito erumpat! Nam *caritatem* vocat meram diſſimulationem, ut jam vidimus. Quam autem alienus ſit a *caritate* illa, quam ſibi a me exprobrari ridicule jactat, vel hinc liquet, quod *Euſebium* in-

invitum Arianismi criminatione absolvat, cui ejus judicium prodesse non potest; me vero traducat, quasi inter Arianismum & Photinianismum fluctuantem, qui ab utraque opinione alienissimus sum, & me esse profiteor; cum non ignoret judicia ejusmodi, temeraria licet, vivis nocere. O eximiam *caritatem Caveanam*, quæ erga mortuos exercetur, ad vivos vero non pertinet! O insignem æquitatem, qua crassi & manifesti errores Veterum negantur, aut molliuntur; dum æqualium vel minimæ dissensiones acerbissime exagitantur, hominesque ipsi turpissimis conviciis proscinduntur! O modestiam singularem, qua, pro mitissima & justissima admonitione, invidiosissima hæreseon nomina redduntur!

Sed manum, ILLUSTRISSIME PRÆSUL, de tabula tollo, ut Tibi potius, aliisque eruditis ac bonis viris, quibus Ecclesiæ Anglicanæ Clerus abundat, rem totam disceptandam ac judicandam permittam. Quo in negotio, si judicia vestra faventia habuero, ut spero, erit cur Veritati & mihi gratuler; sin vero spe mea excidero, ob rationes quas non adsequor, causa tamen nulla erit cur me mei pœniteat instituti, qui Deum testem vocare possum me favoris & odii, in hoc negotio, prorsus vacuum nihil præter sanctissimam ejus quæsivisse Veritatem. Vale.

*Dabam Amstelodami Nonis Juliis.*

cIↃ IↃ C XCIX.

# EPISTOLA III.

*Judicium iniquum* Henrici Meibomii *de* Clerico, *quod comprobat* Caveus, *confutatum. Si a* Clerico *Patres diſſidentes deſcripti ſunt, id poſtulaſſe veritatem Hiſtoriæ, judice ipſo* Caveo. *Idem judicandum de eorum obſcuro ſtylo, incommodis, ambiguisve loquutionibus, in Controverſiis Arianis; quod exemplis oſtenditur.*

*Reverendiſſimo Præſuli*

GILBERTO EPISCOPO

*Salisburienſi*

S. P. D.

JOANNES CLERICUS.

Duabus Epiſtolis, REVERENDISSIME PRÆSUL, ad Illuſtriſſimum Tuum Metropolitam datis, queſtus ſum calumnia me fuiſſe adpetitum a Viro Erudito *Guil. Caveo* Eccleſiæ in tua, niſi fallor, Diœceſi ſitæ Canonico; nulla alia de cauſa, niſi quia huma-

manifestissime nonnulla quæ edidit de ratione conscribendæ Historiæ Ecclesiasticæ, confutaram. Spero autem me iis Litteris ita diluisse quæ de me dixit, ut nulla alia defensione mihi opus futurum sit; atque ita ostendisse reum illum esse dissimulationum, quas sibi falso objectas querebatur, ut res dubia nemini amplius esse possit, qui quidem eas Epistolas legerit. Quia vero non satis habuit suas dissimulationes defendere, quemadmodum potuit, ac calumniari me fluctuare inter Arianismum & Photinianismum; sed etiam nonnulla mihi objecit, quasi veluti Patrum Vitas scripsit, ut eos laudaret; sic ego idem negotium adgressus essem, ut iis detraherem; necesse habeo ostendere me nihil de iis dixisse, quod non manifesto ex veteribus monumentis hauserim, & probatum etiam dederim. Cujus certaminis nemo magis idoneus Judex esse potest, quam Tu, ILLUSTRISSIME PRÆSUL, qui non modo nosti quæ sint Leges Historiæ, sed & qui eas omnes diligentissime in pulcherrima Tua *Reformationis Historia* observasti. Hæc enim disceptatio mea, cum Viro Erudito, postulat Judicem, qui & norit Leges Historicas & eas sacrosanctas, omnibus Historiam scribentibus esse velit. Nulla hic mihi opus est indulgentia, sed rigido ac severo examine, quo omnia exigantur ad verum; quod si dissimularim, aut ulla ratione corruperim, causam non dico cur a Te, sine ulla provocatione, non damner. At si verum tantum dixisse comperiar, æquum esse existimo, ut nemo pejus

ſentiat de me; quam is meretur, qui inflexæ Veritati ſe & ſua Scripta conſecravit.

Antequam ad rem adgrediar, nonnulla mihi dicenda ſunt de iis quæ de me habet Caveus, in præfatione ſecundi Voluminis Hiſtoriæ Litterariæ, ubi poſtquam me, præter meritum, dixit *doctiſſimum* eſſe, *& in quovis fere litterarum genere non indiligenter verſatum*, præter meritum etiam vituperat, cum *optandum eſſe* ait *ut a tam liberis, tam iniquis, & temerariis cenſuris, quales potiſſimum Tomo X. Bibliothecæ Univerſalis reperiuntur, magis temperaſſem.* Cenſorem nuſquam egi, ſed Hiſtoricum; qui narrat quod invenit in monumentis eorum, quorum Hiſtoriam contexit; ut poſtea ſingillatim, ad ea quæ mihi *Caveus* objecit, oſtendam. *Libera* ſunt, fateor, quæ dixi; ſed nemo ab Hiſtorico ſerviles adſentationes, aut diſſimulationes exſpectat. *Iniqua*, aut *temeraria* eſſe non probavit *Caveus*, neque quiſquam alius probabit, ſit ſint vera; quod ego quidem exiſtimo, nec auſus eſt negare Vir Eruditus. Quis enim dixerit Hiſtoricum eſſe *iniquum* & *temerarium*, qui ſimpliciter narrat quæ invenit in Veterum Scriptis? Imo vero *æquum* eſt ut omnia in lucem proferantur, quæ poſſunt ex Antiquitatis ruderibus erui, & *timiditas* eſt Hiſtorico indigna non audere dicere quod comperit. Præſtaret Veterum libros numquam adtigiſſe, nec quid vere ſenſerint quæſiviſſe; ſi poſtea quæ invenimus ſint occultanda, aut arte in alienos ſenſus detorquenda. Rerum antiquarum, & præſertim Eccleſiaſticarum ſtudioſos opor-

oportet animo infixam habere pulcherrimam fortissimi & constantissimi Ascetæ, *Isidori* Pelusiotæ, Epistolam, quæ est ccxv Libri III. *Οἱ τέχνῃ λόγων τ᾽ἀληθὲς συσκιάζοντες πολλῷ μοι δοκοῦσι τῶν τοῦτο μὴ κατειληφότων ἀθλιώτεροι εἶναι. οἱ μὲν γὰρ διὰ βραδύτητα γνώμης ἀπολειφθέντες τῆς θήρας ἴσως σύγγνωστοι· οἱ δὲ δι᾽ ὀξύτητα μὲν γνώμης τοῦτο θηρεύσαντες, κακούργως δὲ τοῦτ᾽ ἀφανίζοντες συγγνώμης ἁμαρτάνουσι μείζονα: qui sermonum artificio veritatem obnubunt multo mihi miseriores iis esse videntur, qui eam minime perceperunt. Nam qui, ob ingenii tarditatem, eam haudquaquam adsequuti sunt, ii forte venia indigni non sunt. Qui vero ob mentis acumen eam investigarunt, nequiter vero occultant, gravius peccant, quam ut iis ignosci queat.* O egregiam sententiam! O dignam, quæ dissimulatoribus nostris perpetuo occinatur!

Postquam dixit *Caveus* quæ antea memoravi, ita pergit: *de quo celeberrimus hujus sæculi Polyhistor* Henr. Meibomius, *ante sexennium, ipsum graviter admonuit, addit. ad Vogleri introductionem* p. 176. & seqq. Hic primum dicam quid peccatum sit a *Meibomio*, deinde etiam a *Caveo*, avidius adripiente quod mihi invidiam creare posse putavit. *Meibomius* in illis Additamentis, citat Tom. x. *Bibliothecæ Universalis*, qui meus est, quasi in eo recensuerim Volumina *Rerum Germanicarum* a se edita; in quo tamen ne verbum quidem est de eo Opere, quod numquam legi. Voluit, nempe, indicare Tomum XI.

*Bibliothecæ Universalis*, ubi recensentur; at meum non esse intelligere potuisset ex Dedicatione, nomineque ei subjecto; neque eum Tomum umquam legi. Itaque *Meibomius*, hoc in negotio, aut valde negligenter, aut parum candide se gessit, qui mihi alienum Opus tribuit: cum præsertim id Opus esset vituperaturus. In Gallicis Scriptis, ejus erroris, in quo aliis præivit, admonitus jam est aliquoties; neque a me provocatus silere diutius honeste potest, si vivit. Ejusmodi enim silentio, hallucinatio, cui ignosci queat, fieret intoleranda calumnia. (*)

Itaque in eo laudando non potest oscitantiam suam excusare *Caveus*; cum tam manifeste errarit. Deinde etiam ejus verba in alienum sensum torquet, cum enim *Meibomius* queratur auctorem XI. Tomi *B. U.* irrisisse Episcopos & Abbates, quorum opera exstant in *Rerum Germanicarum* Voluminibus; *Caveus* ita ejus verba intelligi vult, quasi *Meibomius* loqueretur de judiciis, quæ Tomo X. B. U. de Patrum loquutionibus & controversiis a me lata sunt. Itaque dum cæcus cæcum sequitur, ambo in foveam inciderunt.

Sed quamvis minime errasset *Meibomius*, essetque non perperam a *Caveo* in me criminator productus; quid ad rem faceret ejusmodi criminatio, si sit falsa? An tantæ est auctoritatis *Rerum Germanicarum* collector, ut illi adfirmanti credendum sit? An manifesta veritas esset repudianda, quia illi minus pla-

(*) *Errorem patris agnovit postea ejus filius, his jam editis.*

placeret? Si *Caveus* vellet, ea lege, cum aliis merito agi posse; oporteret ut secum etiam ab aliis agi, eadem ratione, graviter non ferret. Quod tamen, sine dubio, nolet, si audiverit esse celebrem Professorem Lugdunensem *Herman. Witsium*, (*) qui præfixit Dissertationem Belgicam Vitis Apostolorum Caveanis Belgice versis, scripsitque, cum *Socinus* statuat credere in Christum perinde esse ac Deo, ad exemplum & præscriptum Christi, obedire, ac propterea coronam vitæ æternæ a Christo exspectare; se ab hac sententia quantum Caveus discrepet ignorare, saltem ea quæ de obedientia Evangelica scribit non multum a verbis *Socini* abludere. Adeat, si velit, *Caveus* Caput XII. Mens. Martii & Aprilis anni 1698. *Bibliothecæ Librorum Novorum*, quæ editur Ultrajecti; ubi videbit judicium hoc *Witsii* Latine repetitum a pluribus jam legi, quam quando Belgice tantum exstabat. Non probo consilium eorum, qui, si quid contumeliosius de quopiam dictum est, id excerpunt, quasi elegans quoddam emblema, Lectorique jucundum. Recte facerent Collectores *Bibliothecæ* illius *Novæ*, si a prava illa consuetudine abstinerent. Non adsentior etiam *Witsio*, invidiam, ex similitudine aliqua cum *Socini* sententia de fide, *Caveo* facienti. Verum hinc colligat *Caveus* non oportere prava judicia aliorum, minime expensa, bonis viris objicere. Profecto in dissidiis, quibus lacerantur Christiani; nemo fer-

(*) *Idem in ea Dissertatione Latine versa postea iteravit.*

ferme eſt qui Scriptis nonnihil inclaruerit, qui multos ſibi adverſarios, in contrariarum partium hominibus, non excitarit. Mos etiam obtinet, in Republica Litteraria, ut homines litterati ſibi invicem perfacile detrahant, & propter levem injuriam, aut quod interpretantur injuriam eſſe, conviciorum plauſtra in adverſarios conjiciant. Nihil igitur mirum, judicia parum honorifica aliorum plerisque poſſe objici.

Sed ad rem ipſam veniendum. Sic ergo loquitur Windeſorienſis Canonicus, de Vitis Gallicis aliquot Patrum a me in *Bibliotheca Univerſali* editis, deinde in Anglicam Linguam translatis: (*) *Poſt primarium*, inquit, *Operis inſtitutum, id ſibi pæne unice propoſuiſſe videtur auctor ut Sanctos Patres inter ſe committeret, quaſi nec ſibimet ipſis, nec inter ſe invicem convenientes.* Primum & unicum meum inſtitutum fuit ſcribere Vitas, in quibus Veritatis ſolius ratio haberetur, ut Lectores ex iis opuſculis colligere poſſent eos fructus, qui ex veris Hiſtoriis colliguntur. Eo dumtaxat ſpectant quæcumque, in eo genere, ſcripſi. Quod ſi poſtulavit veritas Hiſtoriæ, ut deſcriberentur *Sancti Patres*, quaſi a ſe ipſi, & ab aliis diſſidentes, quia re vera ſibi ſatis non conſtant & inter ſe digladiantur; an tamen debuerunt a me deſcribi, quaſi ſecum & cum aliis ſemper conſenſiſſent? Non opinor, nec quisquam, ut puto, qui ſit Veritatis, in Hiſtoria, paullo amantior, Hiſtorico

(*) *Diſſ. 3. de Euſebii Arianiſmo p. 61.*

rico quidquam simile concesserit. Debebat ergo *Caveus* ostendere falso descriptos Patres, quasi dissentientes, & me reum agere mendacii, quo in Historia majus scelus admitti non potest.

Erit forte qui cum ignoret quid senserint Patres, nec eorum Scripta versarit, judicium tamen feret de illis, ex elogiis *Caveanis*, aliisque similibus; ac proinde contendet tanta eruditione ac sanctimonia viros non posse repugnantiarum aut dissidiorum nisi falso insimulari. At non ita respondebit *Caveus*, aut certe respondere jure poterit, qui, in hac ipsa Dissertatione, eos committit inter se; nam *Socratem*, *Theodoritum*, & *Gelasium* negantes *Eusebium* Cæsariensem fuisse Arianum, quod & ipse inficiatur, opponit *Athanasio*, *Eustathio*, *Epiphanio*, *Hilario*, *Hieronymo*, & aliis, qui hominem aperte Arianismi insimularunt; ita ut necesse sit hos esse calumniatores acerrimos, qui virum doctissimum, eumdemque Episcopali dignitate ornatum, exitialis Hæreseωs accusarunt; aut illos *Eusebii* Hæresin frustra dissimulare. Hoc demum est non modo *Sanctos Patres* inter se committere, sed turpissimæ calumniæ reos facere, atque eo spectat tota hæc dissertatio *Cavei*; quæ multo minus contra *Clericum* est, quam contra *Athanasium*, *Hieronymum* & alios quos nominatim adpellavi. Si enim argumenta *Cavei* sint bona, temere quidem ego dicar Patres illos sequutus; at illi, quasi auctores gravissimæ calumniæ, damnabuntur.

Hinc facile intelligere est a Viro Erudito non

non tam defendi *Sanctos Patres*, quos de industria gravissimæ calumniæ insimulat, quam oppugnari *Clericum*. Si de Patribus omnia dixissem, quæ dixi, & forte etiam acerbiora; ferrentur illa, si modo *Caveum* non adtigissem; aut etiam laudarentur, si Vitas ejus extulissem. Vult quidem nosse Veritatem, vult eam proferre, quando ita videtur; sed non vult eam aliis innotescere, in suum detrimentum. Offendi neminem vult, iis quæ de Patrum aliquot & quidem primi, ut ita loquar, subsellii, calumniis habet; vult sibi licere judicium ignominiosum de iis ferre, cum ita res postulat, quam probandam suscepit; at ab alio simile fieri posse negat, si præsertim ei quapiam in re adversetur. Quo vero jure, & cur ita se gerit Canonicus noster? (*) *Quia* (liceat enim respondere, aut, si mavis, suspicionem exprimere verbis *Augustini*) *quia sic amatur Veritas, ut quicumque aliud amant, hoc quod amant velint esse Veritatem, & quia falli nolunt, nolunt convinci quod falsi sint. Itaque propter eam rem oderunt Veritatem, quam pro Veritate amant. Amant eam LUCENTEM, oderunt REDARGUENTEM. Quia enim falli nolunt, & fallere volunt, amant eam cum se ipsa indicat, & oderunt eam cum eos ipsos indicat.*

Erit forte etiam, qui optet a me dissimulata fuisse, quæ in vita *Eusebii* dixi parum honorifica nonnullis Patribus dogma de Unitate Dei

(*) *Confess. Lib. X. C. XXIII.*

Dei male interpretatis, quamvis sint vera; ne male sentientibus occasio præbeatur illudendi venerandæ Antiquitati, & plures ad se pertrahendi. At si quod est ab iis periculum, si quid Veritati timendum; ei periculo occurrendum aliter, quam dissimulatione Veritatis, quæ Veritati contraria esse nequit. Ostendendum, quidquid illi senserint, propterea quod a Deo revelatum est non minus esse verum; nec Veritatem cœlestem stare, aut cadere, pro judiciis hominum; quod & Religioni honorificum est, & facile potest demonstrari. Dissimulatum malum alitur, non curatur, ac tandem in perniciem dissimulantium erumpit. Narratur a *Tacito* (*) ignavus atque imprudens Imperator, *nuntios cladis* acceptæ, *occultans, stulta dissimulatione remedia potius malorum, quam mala, distulisse. Quippe,* subdit, *confitenti, consultantique supererant spes, viresque; cum e contrario læta omnia fingeret, falsis ingravescebat. Mirum apud ipsum de bello silentium; prohibiti per civitatem sermones, eoque plures; ac, si liceret, vera narraturi, quia vetabantur, atrociora vulgaverant.* Sic & hodie, parum prudente dissimulatione pravarum sententiarum Antiquitatis Ecclesiasticæ, quasi nemini innotuissent; remedia potius errorum, quam mala ex erroribus manantia, differuntur. Contra fatentibus quidem quod res est, & consultantibus de ratione, qua errori quam tutissime obviam iri possit, supererunt rationes, quibus haud diffi-

(*) *Hist. Lib. III. c.* 54.

difficulter propulſetur. Si vero fingantur quæ non ſunt, errores ingraveſcent. Sileantur licet in libris hallucinationes Veterum, prohibeanturque de iis in Academiis ſermones; magis in dies errores erumpent, pluresque de iis colloquentur. Imo vero ſi eos aperte dicere liceret, minores futuri, quia auctoritate prævalentium vetantur ſermones, errores illi a male ſentientibus majores, quam fuerunt, vulgantur.

Statim ac reteximus Veritatem, quæ præſertim magni momenti videtur, cœleſte hoc beneficium vulgandum nobis eſt, quippe non alium in finem a Deo nobis conceſſum. (*) *Veritas* Dei *nec mea eſt, nec illius, aut illius, ſed omnium noſtrum; quos ad ejus communionem publice vocat, terribiliter admonens nos, ut nolimus eam habere privatam, ne privemur ea. Nam quisquis id quod Deus omnibus ad fruendum proponit, ſibi proprie vindicat, & ſuum vult eſſe quod omnium eſt, a communi propellitur ad ſua, hoc eſt, a Veritate ad Mendacium. Qui enim loquitur mendacium, de ſuo loquitur.* Abſit ergo a nobis omnis disſimulatio, qua Veritas proditur, Deusque ejus auctor, vel potius, ut Platonice loquar, αὐτοαλήθεια graviter offenditur.

Igitur ſi Patres, nonnullis in Capitibus, ſecum, aut cum aliis non conſentiant, ne hoc quidem diſſimulandum erit. Indicat, hanc in rem, *Caveus* locum ex Vita *Euſebii* Anglica, quem puto exſtare pag. 410. & ſeq. T. x.

(*) *Auguſt. Confeſſion. Lib. XII. c. 25.*

T. x. *Bibliothecæ Universalis*, ubi postquam dixi Patres cum Platonicis videri sensisse, περὶ τριῶν ἀρχικῶν ὑποστάσεων, *de tribus principalibus substantiis*, quod ex antecedentibus liquet, ita porro pergo: *Nunc dicunt fuisse tempus, quo Filius non erat; nunc esse æternum, æque ac Patrem; aliquando eos esse æquales, aliquando Patrem majorem esse ajunt. Hi credunt Patrem & Filium esse duas hypostases, duas naturas, duas essentias, ut liquet ex loco* Pierii, *quem profert* Photius, *Cod.* CXIX: *illi negant.* Tum vero, *omnium horum*, inquam, *exempla adferri nequeunt, quia prolixiorem me esse oporteret, quam mihi, hoc in loco, licet; sed satis superque exemplorum reperientur in libro* Georg. Bulli *jam laudato; nempe, in Defensione Fidei Nicænæ.* Similia etiam dicuntur pag. 415. ubi animadverto propterea Patres, qui ante Nicænum Concilium vixerunt, visos Arianismo favere *Dionys. Petavio*, & *Pet. Danieli Huëtio* Abrincensi Episcopo, viris longe doctissimis; aliter vero sentire *Georgio Bullo*, viro pariter erudito, & loca contraria proferri, quæ non facile in concordiam rediguntur.

Nunc testes adpello omnes, qui vel solum *Bullum* legerunt, ut dicant annon multa sibi occurrerint exempla, in quibus vir eruditus, non sine magno labore, repugnantias tollere conatur. Legatur Sectio ejus III. ubi agit περὶ τοῦ συναϊδίου τοῦ Υἱοῦ, *de æternitate Filii*, & præsertim cap. x. de *Tertulliano* & *Lactantio*, ac Sect. IV. c. 3. & satis liquebit Patres

non eodem modo ſemper eſſe loquutos. Nunc non ago de eorum verbis in concordiam redigendis, quod fortaſſe aliter commodius fieri queat, quam eſt factum a viro erudito; ago tantum de eorum loquutionibus, quas, prima ſaltem fronte, contrarias eſſe nemo poteſt negare. Non ſunt conſtantiores in loquutionibus, quas adhibent, quando loquuntur de æqualitate, vel inæqualitate Patris & Filii. Liquet hoc potiſſimum ex locis, quæ ad examen revocat *Bullus* Sect. IV. ubi de Filii ſubordinatione. Sed nihil nobis opus eſt *Bullo*; nobiſcum enim militat hic *Caveus*, qui de *Euſebio*, quem Conſubſtantialiſtam fuiſſe contendit, ſic loquitur, non procul (*) ab initio Diſſertationis qua eum Arianiſmi inſimulatione purgare ſtudet: *Plus vice ſimplici*, inquit, *teſtatus ſum multa Scriptis ejus ineſſe incautius, durius, periculoſius dicta, quæ æquum & candidum Lectorem expetunt, inſolentes quandoque & incommodas reperiri loquendi formulas, a receptis Theologorum Regulis abhorrentes, quas nec probo, nec defendo.* Sunt, nimirum, loquutiones quibus videtur negare quod alibi adfirmaſſe eum vult Vir Eruditus. Itaque *Euſebius*, vir doctiſſimus, & quod caput eſt rei, ex ſententia *Cavei*, recte de S. Trinitate ſentiens, loquitur nunc cum Arianis, nunc cum Nicænis Patribus. A Patribus Filium modo æquatum Patri, modo ſubjectum, docet quoque *Caveus*, ad Regulam ſecundam, quam in Diſſer-

(*) *Pag.* 63.

fertatione sua proponit. Vario quidem sensu, dici æqualem & minorem ostendit, quod nec nego. Locum *Pierii* qui legerit apud *Photium*, eum comparet cum Epistola *Alexandri* Alexandriæ Episcopi, quam habet *Theodoritus* Lib. I. c. 4. & quam laudavi p. 433. Tom. X. *B. U.* Adiri possunt & *Dionys. Petavius*, & *Steph. Curcellæus*, qui ostenderunt quam varie usi sint Patres voce ὑπόστασις.

Hæc cum ita sint, nullam rationem habuit *Caveus* cur verba mea carperet; invidiamque propterea mihi facere conaretur; cum nihil complectantur, quod non sit sine dubio verum. Subjicit me describere Patres, *tamquàm obscuros, perplexos, confusos, nec eorum quæ tractant satis peritos, qui terminis utuntur æquivocis, & præclare se munere suo functos arbitrantur, cum de mysteriis incomprehensibilibus, modo quodam haud intelligibili, disputarint.* In margine indicat paginas e Vitis *Clementis Alexandrini*, & *Eusebii*. Atqui contendo nihil ejusmodi a me dictum, in iis Vitis, quod indubitatis exemplis illico aut paullo post, vel antea, non probarim.

Vel loquutus sum de Stromatibus (*) *Clementis: Verum nullum in eo Opere observat ordinem, quemadmodum* IPSE *ad calcem Libri* VII. TESTATUR. *Ex occasione cujuspiam rei ad aliam transit, nullo sibi dicendorum ordine præscripto, nec alio consilio nisi ut proferat utilissima quæque, quæ studio & me-*



(*) B. U. T. X. p. 218. & seq.

*ditatione dedicerat, de rebus quæ in animum ejus incidebant. Stylus ejus in postremo hoc* Opere (Stromatum) *durior, quam in duobus prioribus* (Admonitione ad Gentes & Pædagogos;) *ubi tamen accersitum potius ornatum inveneris, quam elegantiam & perspicuitatem. Contendit quidem se, non sine ratione, ita scripsisse; sed in hoc genere scribendi, duo sunt gravia incommoda. Prius situm est in pravo ordine, quo fit ut non tantum optimorum argumentorum vis non satis sentiatur, verum etiam ut Scriptoris ipsius animus conturbetur, eadem sæpe repetat, multasque congerat ratiocinationes, quarum infirma est collectio. Alterum pertinet ad Stylum neglectiorem, qua negligentia sæpe fit ut non intelligatur quod volumus: neque enim hinc elegantia tantum, sed etiam perspicuitas abest. Quæsita autem obscuritas, in rebus difficilioribus, quales sunt eæ, de quibus agit* Clemens, *eo dignior est quæ vituperetur, quod ne facile quidem intelligi queamus in rebus natura sua perspicuis, nisi clare mentem nostram exprimamus. Cum loqui non liceat, nisi ut intelligamur, nulla ratione excusari potest Scriptor, eo quod perspicue non loquatur; nisi mentem suam melius exprimere nesciverit. Ac sane eo natura ferimur, ut credamus eorum, quorum obscura est dictio, minime perspicuas esse cogitationes; eosque non alia de causa ita loqui, nisi quia non clarius res intelligunt, quam eas exprimunt. Debent quidem contemni longe petita ornamenta eloquentiæ accersitæ; sed inter ea ornamenta non est censenda perspicuitas. Pauci sunt, fateor,*

*Pa-*

*Patres, in quorum Scriptis similia animadvertere non liceat. Plerique dum neglectum eloquentiæ excusant, omni ope nituntur eloquentes, suo more, videri; ut intelligere est ex innumeris tumidis & coactis cogitationibus, loquutionibusque nimium metaphoricis, naturæque rerum minime convenientibus, quibus eorum Scripta scatent. Perpauci intellexerunt maximam Scriptoris curam in eo sitam esse oportere, ut animo Lectoris perspicuas notiones eorum quæ dicit objiciat, adhibitis vocibus minime ambiguis.* Ita ad verbum transtuli locum Vitæ *Clementis*, ad quem respicit *Caveus*, ut liqueat quanta fide loquutus sim de Patrum Scriptis. Primum de *Clemente Alexandrino* aliud nihil dixi, nisi quod ipse fatetur, & quod observavit *Photius*, Cod. CIX. Quin & *Caveus*, sub finem vitæ *Clementis*, similia habet. Nec possunt certe negari ab iis qui Græce *Clementem* legerunt. Quæ vero subjeci de ordinis & perspicuitatis necessitate, præsertim in argumento difficili & obscuro per se, ea sunt usque adeo perspicua, ut vix opus sit Dialecticæ elementis, ut concedantur; sensus enim ipse communis hæc docet litterarum omnium expertes.

Quod addo de plerorumque Patrum Scriptis, nemini dubium esse potest, nisi iis qui ea numquam vel a limine salutarunt. Comparentur plerique Patres Græci cum Scriptoribus Atticis, atque ex ea collatione illico liquebit eos non elegantia tantum ab Ethnicis multum superari, sed præsertim perspicuitate totius Orationis. Eadem collatio instituatur

inter Latinos Ecclesiasticos & Profanos; atque idem manifesto intelligere licebit. Quid ergo adtinet negare quod certissimum est, & quod facili experimento cognosci potest? An fiet perspicuus & adcuratus stylus Patrum, quia adfirmabimus eum ejusmodi esse? Quæ malum est ergo hæc prudentia, qua negantur aperta, ut videatur Antiquitas Ecclesiastica defendi? Ego quidem fateor me non intelligere.

In vita *Eusebii*, postquam varias loquutiones Patrum de S. Trinitatis dogmate, in speciem saltem pugnantes, protulissem, ita sum loquutus (*): *Si quis nunc quærat quas potestates subjicerent iis loquutionibus, perspicuas quidem eas fuisse nemo dixerit; primo quia quamvis nitamur intelligere quid velint, claram ejus notionem animo concipere non possumus; secundo quia ipsi fatentur rem esse, quæ intelligi nequit. Hoc unum ergo, in hoc negotio, fieri potest; proferri, nimirum, loquutiones, quibus usi sunt, ut liqueat quomodo de hoc argumento olim loquerentur. Attamen viri docti magno labore conati sunt explicare loca Patrum, qui vixerunt ante Concilium Nicænum, nec intellexerunt inanes esse omnes interpretationes; cum Patres ipsi, dum faterentur intelligi non potuisse quod dicebant. eadem opera fassi fuerint se potestatem nullam vocibus quibus utebantur, nisi generalem admodum & obscuram, subjecisse.*

Horum verborum defensionem nullam melio-

(*) *Pag.* III. *T. X. B. V.*

liorem adhibere queam, quam *Defensionem* Fidei *Nicænæ Georgii Bulli*; in cujus singulis ferme paginis, invicta argumenta eorum quæ dixi occurrunt, & quæ a Viro Erudito sine dubio perlecta est. Loca enim innumera profert *Bullus*, ex quibus intelligere licet nihil verius dici potuisse, quam quod a me dictum est. Inspiciatur liber ab iis qui non legerunt, nec causam dico cur ab omnibus non spernar; nisi illico intelligant me verissimum, de Patrum loquutionibus, judicium tulisse. Sed ne hoc quidem libro est opus, si adtendatur vel sola ratiocinatio, qua usus sum. Quis enim potest dicere claram subjici potestatem vocibus, quibus exprimitur res ἀκατάληπτος, hoc est, quæ intelligi nequit? Annon repugnant hæc, perspicue quidem orationem intelligere, rem vero quæ exprimitur, non adsequi? Annon hoc est, intelligere, & simul non intelligere? Non erat ergo cur mihi propterea invidiam movere conaretur Vir Eruditus; cum Veritas aperta, nonnisi apud malos, invidiam facere possit. Si causa hæc agatur apud bonos, ut sane agitur, nihil mihi timendum est, nihil enim spectant boni præter Veritatem; a qua libentissime vinci sese patiuntur, si quando contra eam imprudentes senserint. *Bonum est homini*, (*) ut recte Augustinus, *ut eum Veritas vincat volentem; quia malum est homini, ut eum Veritas vincat invitum. Nam ipsa vincat necesse est, sive negantem, sive confitentem.* Liceat

 &

(*) *Ep. CCXXXVIII. ad Pascentium.*

& adverſarium adloqui, ſequentibus ejusdem *Auguſtini* verbis: *Da veniam* (Cavee) *ſi quid liberius dixi, non ad contumeliam tuam, ſed ad defenſionem meam. Præſumſi enim de gravitate & prudentia tua, quia potes conſiderare quantam mihi reſpondendi neceſſitatem impoſueris; aut ſi & hoc non recte feci, & huic da veniam.*

Alibi in ejusdem *Euſebii* Vita, plura a me dicta ſunt, non nego, de vocibus ambiguis, quibus uſi ſunt Patres, in controverſiis contra Arianos; ſed ea ſunt manifeſtiſſimis exemplis comprobata. (*) Alicubi poſtquam obſervavi Nicænæ Synodi decretis lites minime diremtas fuiſſe, adtuli inſignem locum *Socratis* Hiſt. Eccleſ. Lib. I. c. 23. quem hîc reponam; quandoquidem a *Caveo* omnia, quæ confirmandis iis quæ dixeram protuli, prætermittuntur, atque intacta relinquuntur; quaſi temere tantum, nec ullo prolato argumento, aut exemplo ex Antiquitate, loquutus eſſem. Sic ergo ille: Πάλιν τὴν εἰρήνην οἱ οἰκεῖοι τῆς Ἐκκλησίας ἐτάραττον. Εὐσέβιος μὲν οὖν ὁ Παμφίλου φησὶν εὐθὺς μετὰ τὴν Σύνοδον, πρὸς ἑαυτὴν στασιάζειν τὴν Αἴγυπτον, τὴν αἰτίαν μὴ προσθείς. ἐξ ὧν καὶ διγλώσσου δόξαν ἐκτήσατο, ὅτι τὰς αἰτίας λέγειν ἐκκλίνων μὴ συνευδοκεῖν τοῖς ἐν Νικαίᾳ συνέθετο· ὡς δὲ ἡμεῖς ἐκ διαφόρων ἐπιστολῶν εὑρήκαμεν, ἃς μετὰ τὴν Σύνοδον οἱ Ἐπίσκοποι πρὸς ἀλλήλους ἔγραφον ἡ τοῦ ὁμοουσίου λέξις τινὰς διετάραττε· περὶ ἣν κατατρι-

βό-

(*) *Tom. X. B, U. p.* 461.

βόμενοι καὶ ἀκριβολογούμενοι τὸν κατὰ ἀλλήλων πόλεμον ἤγειραν· νυκτομαχίας τε οὐδὲν ἀπεῖχε τὰ γινόμενα· οὐδὲ γὰρ ἀλλήλους ἐφαίνοντο νοοῦντες, ἀφ᾽ ὧν ἀλλήλους βλασφημεῖν ὑπελάμβανον· οἱ μὲν γὰρ τοῦ ὁμουσίου τὴν λέξιν ἐκκλίνοντες τὴν Σαβελλίου καὶ Μοντανοῦ δόξαν εἰσηγεῖσθαι αὐτὴν τοὺς προσδεχομένους ἐνόμιζον· καὶ διὰ τοῦτο βλασφήμους ἐκάλουν, ὡς ἀναιροῦντας τὴν ὕπαρξιν τοῦ Υἱοῦ τοῦ Θεοῦ· οἱ δὲ πάλιν τῷ ὁμουσίῳ προσκείμενοι, πολυθείαν εἰσάγειν τοὺς ἑτέρους νομίζοντες, ὡς Ἑλληνισμὸν εἰσάγοντας ἐξετρέποντο: *Pacem Ecclesiæ domestici ejus iterum perturbarunt.* Eusebius *quidem Pamphili dicit statim post Synodum Ægyptum dissidiis agitatam fuisse, nec causam addit. Unde & bilinguis famam adeptus est, quod vitans dicere causas constituerat minime adsentiri decretis Nicænis. Verum, ut nos ex variis Epistolis comperimus, quas post Synodum mutuas ad se scripserunt, vox* consubstantialis *quosdam conturbabat. Quam animo diu versantes & adcuratius expendentes bellum inter se excitaverunt. Quæ fiebant non multum aberant a pugnæ nocturnæ similitudine. Neque enim videbantur se invicem intelligere, deinde alii alios blasphemare putabant. Alii enim, qui vitabant vocem* consubstantialis, *credebant eos qui eam admittebant inducere dogma Sabellii & Montani. Propterea eos blasphemos vocabant, quippe tollentes exsistentiam Filii Dei. Contra vero qui adhærebant voci* consubstantialis, *existimantes ab aliis multitudinem Deo-*

*rum induci, eos quasi Gentilismum inducentes aversabantur.* Annon hinc manifestum fit vocem ὁμοούσιον ambiguam fuisse habitam, ab iis ipsis qui dissidebant ab Ario; cum posset significare *participem unius numero essentiæ*, quod Sabellianismum expressisset; aut *participem essentiæ unius speciei*, quo sensu Nicænam sententiam significabat, mediam inter Sabellianismum, & Gentilismum, ut sæpe Patres docent; quam in rem loca aliquot insignia *Gregorii Nazianzeni*, in ejus Vita, protuli? Nemo ergo harum rerum paullo peritior non adsentiatur iis, quæ subjecti loco Socratis: *Hæc peperere*, inquiebam, *cum ambiguæ voces, quæ non satis definitæ cœpere in Christianismum intromitti; tum etiam prava consuetudo plerorumque Veterum, qui numquam, sedato animo, hisce de rebus loquebantur; qui numquam ferme de perspicua mentis suæ expressione cogitarunt, & qui videntur voluisse probare se ex animi sententia loquutos, cum ajebant se credere mysterium, de quo disputabant, esse ἀκατάληπτον, dum ita mentem suam exprimunt, ut intelligi nequeat.* Satis exemplorum ejus rei adtuli, in *Eusebii* primum, tum etiam in *Gregorii Nazianzeni* Vita. At hic quoniam mihi probandum quod omnes nunc norunt in Antiquitate Ecclesiastica paullo adtentius versati, duplici ratione id quod dixi confirmabo.

Ambiguis vocibus usos Patres Nicænos satis intelligere est vel ex ratione, qua *Eusebius* eorum Symbolum interpretatus est, cum in eo

eo merum Arianismum invenerit; ut liquido ostendi, in altera ad Reverendiss. & Illustrissimum *Archiepiscopum Cantuariensem* Epistola. Sed ne auctoritate *Eusebii*, quem fucum Patribus fecisse existimo, abuti videar; vox illa ὁμοούσιος, quæ Nicænarum partium fuit olim tessera, gravissima ambiguitate laborat, quam jam adtigi; & qua factum est ut Universa Ecclesia Christiana, ab aliquot sæculis, sentire se crediderit cum Nicæna Synodo, cum ab ejus sententia imprudens quidem, sed merito abiisset. Credunt enim ab aliquot sæculis Christiani esse unicam numero essentiam divinam, prout sine dubio docent Veteris & Novi Testamenti Tabulæ; nec eo secius existimant secum olim sensisse Nicænos Patres; qui tamen unicam dumtaxat specie, sed numero triplicem Naturam divinam esse crediderunt; ut *Dionys. Petavius*, *Steph. Curcellæus*, *Rod. Cudworthus* vestras aliique, iis argumentis quibus nihil reponi queat, docuerunt. Quod intelliget etiam quisquis Vitas *Eusebii* & *Gregorii* a me conscriptas paullo adtentius, locaque a me subinde prolata, in ipsis Scriptoribus, legerit. Quin etiam viros doctos in Anglia complures fama est non dubia ita sentire; qui melius Tibi, REVERENDISSIME PRÆSUL, quam mihi noti sunt. Quod cum ita sit, qua fronte audet Vir Eruditus negare a Patribus Nicænis ambiguas voces esse adhibitas, aut certe mihi dicenti, quod omnes norunt, odium apud imperitos creare? Quis nescit etiam quam ambigua sit vox ὑπόστασις, quæ *substantiam* aliquando signi-

ſignificat, aliquando *exſiſtentiam*? *Petavius* & *Curcellæus* tam copioſe hac de re ſcripſerunt, ut actum agere videatur, qui rem pluribus demonſtrare velit. Addam tamen verba ſequentia *Socratis*, quoniam eum cœpi teſtem, hanc in rem, dare: Καὶ Εὐστάθιος μὲν, inquit, ὁ Ἀντιοχείας Ἐπίσκοπος διασύρει τὸν Παμφίλου Εὐσέβιον ὡς τὴν ἐν Νικαίᾳ πίστιν παραχαράττοντα· Εὐσέβιος δὲ τὴν μὲν ἐν Νικαίᾳ πίστιν οὔ φησι παραβαίνειν· διαβάλλει δὲ Εὐστάθιον, ὡς τὴν Σαβελλίου δόξαν εἰσάγοντα· διὰ ταῦτα ἕκαστοι ὡς κατὰ ἀντιπάλων τοὺς λόγους συνέγραφον. ἀμφότεροί τε λέγοντες ἐνυπόστατόν τε καὶ ἐνυπάρχοντα τὸν Υἱὸν εἶναι τοῦ Θεοῦ, ἕνα, τε Θεὸν ἐν τρισὶν ὑποστάσεσιν εἶναι ὁμολογοῦντες, ἀλλήλοις οὐκ οἶδ' ὅπως συμφωνῆσαι οὐκ ἴσχυον· καὶ διὰ ταῦτα ἡσυχάζειν οὐδενὶ τρόπῳ ἠνείχοντο: *Et* Euſtathius *quidem*, *Antiochiæ Epiſcopus*, Euſebius Pamphili *perſtringit*, *quaſi adulterantem fidem Nicænam*; Euſebius *vero negat ſe a Nicæna fide diſcedere*, *at calumniatur* Euſtathium, *quaſi inducentem* Sabellii *ſententiam. Propterea ſinguli*, *veluti contra adverſarios*, *libros ſcripſerunt. Cum utrique dicerent Filium Dei hypoſtaſin ſuam habere*, *& exſiſtere*, *Deumque unum eſſe in tribus hypoſtaſibus faterentur*, *neſcio quomodo invicem conſentire non poterant*, *nec ideo ulla ratione quieſcere ſuſtinebant.* Quis non videt ambiguitate vocum fuiſſe perturbatos ac deluſos? Quare nec mirum eſt recentiores Chriſtianos, ab aliquot ſæculis, cum abiiſſent a Nicæna ſententia,

tia, credidisse tamen se eam etiamnum tueri.

Quod vero dixi Patres *ita mentem suam expressisse, ut intelligi nequeat*, id egregie probavit popularis *Cavei Georgius Bullus*, vir eruditus, in *Defensione Fidei Nicænæ*; in qua a capite ad calcem ad obscurissima loca explicanda desudat. Exemplum tamen unum ex eo proferam, & petitum quidem ex re, quam maximi ille momenti judicavit ad intelligendos Patres. (*) *Nonnulli*, nimirum, *sunt Scriptores Catholici Synodo Nicæna antiquiores, qui videntur Filio Dei, etiam qua Deus est, nativitatem tribuisse quamdam, quæ aliquando cœperit & mundi creationem proxime antecesserit.* Hanc nativitatem, quam tralaticiam esse vult vir doctus, non propriam, vocant illi aliquando προέλευσιν & συγκατάβασιν, *progressionem* & *descensum*, multaque, apud Patres, ea de re habentur, quæ in memorato Opere congesta legere licet. Cum vero facile intelligeret Lectorem sibi προέλευσιν illam describi postulaturum, (†) rem ipse occupavit, &, *Interrogabit*, inquit, *fortasse me qualisnam fuerit illa* τοῦ λόγου, *ad condendum universa*, συγκατάβασις, *de qua sancti Patres loquuntur?* Tum respondet: *Quid vero si simpliciter respondeam me nescire? Haud propterea licet mihi hanc venerandorum Patrum notionem (quorum ea fuit modestia, & sacrosancti mysterii reverentia,* ut

(*) Sect. 3. C. V. (†) Sect. 3. C. IX. §. 12.

*ut e ſuo cerebello ipſam effinxiſſe neutiquam exiſtimandi ſint) tamquam inanem ſubtilitatem deſpicere & contemnere. Dic tu qualis fuerit τῦ Λόγυ & Filii Dei κένωσις & συγκατάβασις, qua propter nos homines & noſtram ſalutem a Patre exivit, e cœlis deſcendit & incarnatus fuit; & ego tibi alterum illam συγκατάβασιν explicare conabor; ut, ſcilicet, inſaniamus ambo, in Dei myſteria oculos injicientes*, &c. Hæc certe non intelligo, aut perinde eſt ac ſi dicerentur ita eſſe loquuti de re ἀκαταλήπτου, ut intelligi nequeant. Talia autem non pauca occurrunt, ut ſola lectio *Defenſionis Bullanæ* eos qui Patres ipſos non legerunt ſatis docebit.

Quid eſt ergo, REVERENDISSIME PRÆSUL, cur mihi hæc aliaque id genus dicenti indignetur, & invidiam facere conetur Windeſorienſis Canonicus? Non capio, niſi forte ſit intoleranda, in meis Scriptis, Veritas, quæ in aliis laudatur. Forte tamen dicet Vir Eruditus a me talia in contumeliam Patrum proferri; ſed alio animo a *Bullo* eſſe animadverſa. At ſi res ipſa non ſit contumelioſa, animus quo profertur eam non mutat. Si contumelioſa ſit, irreverentius de Patribus loquutus eſſe cenſeri non poſſum quam *Bullus*, qui eam prior dixit. Sed niſi diſſimulare id quod veriſſimum eſt velimus, fateamur neceſſe eſt multo prudentius ac religioſius facturos fuiſſe Patres, quibus hiſce de rebus nihil certi innotuit, niſi ex Scriptura, ſi de re ἀκαταλήπτου loquuti eſſent, ut loquuntur Scriptores Sacri, nec ulla confec-

ta-

taria ex iis duxissent, nisi plane necessaria, & quæ ex grammatica ac non dubia verborum, quibus usi sunt, interpretatione nascebantur. Verum, de re ipsa, hic agere non constitui; satis habui ostendere Virum Eruditum sine causa in me invectum fuisse; quod an præstiterim, Vos demum poteritis optime omnium judicare; apud quos fama est Veritatem plurimum posse, tutissimamque esse innocentiam. Quod quin verissimum sit non dubito, certe credere debeo, donec contrarium sim expertus; quod numquam siverit ille Deus, qui florentissimæ Ecclesiæ curam vobis credidit! Cujus ego Ecclesiæ & Pastoribus & Gregibus omnia secundissima opto, quæ a Deo Optimo Maximo iis possum precari. Vale, ILLUSTRISSIME PRÆSUL, meque in eorum numero, qui judicium tuum magni faciunt, numerato.

*Dabam Amstelodami III. Nonas Julias.*

cIↃ IↃ C XCIX.

EPIS-

# EPISTOLA IV.

*Judicium de Libro* Joan. Dallæi *de usu Patrum. Quid possit reverentiam Scriptori, ejusque Scriptis conciliare. Non esse cur magnifice de plerisque Veterum, eruditionis causa, sentiamus, qui nec judicio, ingeniove suo, nec subsidiis quæ habebant usi sunt, ut par erat Studia Orientalium Linguarum ab iis perperam neglecta. Bonis moribus Scriptores non esse æstimandos. Usus Patrum quis sit. Auctoritas an ex antiquitate & consensu nascatur. Quatenus sint in pretio habendi Patres.*

## EIDEM S. P. D.

## JOANNES CLERICUS.

DE singularibus nonnullis Capitibus, ad Historiam Ecclesiasticam pertinentibus, in proximis meis ad Te, ILLUSTRISSIME PRÆSUL, litteris egi. Nunc me vocat *Gulielm. Caveus* ad quæstionem generalem, quæ ad reverentiam Patribus Ecclesiæ debitam spectat; de qua sententiam meam, ne silentium cum Veritati, tum mihi etiam sit fraudi, aperire me necesse est. Si mihi hac de re agendum esset, apud nonnullos homines, qui credunt non quod compererunt, sed quod cu-

cupiunt; magnopere mihi esset laborandum, ne præjudicatis opinionibus Veritas vinceretur. Dum enim vehementer cupimus quidpiam esse verum, primum id nobis persuademus; deinde indignamur iis, qui nos ab errore revocare adgrediuntur, auremque proinde surdam rationibus omnibus præbemus. Quam in rem, verissime elegantissimus Platonicus: (*) ἀπειθὲς χρῆμα ἐπιθυμία προσλαβοῦσα οἶστρον, καὶ προσελθοῦσα ἐγγύτατα μανία: *cupiditas res est, cui nihil persuaderi potest, præsertim si æstro agatur, & furori proxima sit.* At mihi res est, apud eos qui id demum optant verum esse, quod verum est.

Quamobrem verbis Viri Eruditi prolatis, simpliciter ac sine fuco, dicam quid sentiam. (†) *Dallæi*, inquit, *librum* de Usu Patrum, *magnis effert laudibus* (quidquid, *inquit*, aliter sentiant Antiquitatis Panegyristæ) *nec mirum; cum auctori, viro cetera doctissimo, visum fuerit omnem, quæ Patribus debetur, reverentiam excutere, deque eorum scriptis sinistre & duriori censura judicare.* Respicit Vir Eruditus ad locum Vitæ *Clementis*, qui exstat T. X. *Bibl. Universalis*, p. 223. ubi postquam dixi nonnullos Patres, qui Orthodoxorum numero censentur, propter miras opiniones, minime fuisse damnatos, ita pergo: *Ejus rei varia exempla invenire licebit Cap. IV. Partis I. Dallæi* de Usu Patrum: *qui Liber, invitis Antiquitatis Encomiastis, semper ab iis quibus nota est, egregium Opus*



(*) *Maximus Tyrius Dissert. IX.* (†) *P. 6. Dissert. 3.*

*habebitur*. Hæc ſunt verba, quorum ſenſum indicaſſe exiſtimavit *Caveus* perinde eſſe ac me reum feciſſe tanti ſceleris; ut, apud Antiquitatis admiratores, nullo piaculo queat expiari. Nunc vero videamus, quid poſſit in illis verbis carpi. Primum de *Dallæi* Opere agam, deinde de re ipſa.

Nemo, iterum dico, qui id Opus adtente legerit, noveritque penitus Antiquitatem Eccleſiaſticam, & ſciverit qua ratione Pontificii ea abuti ſoleant, non fatebitur mecum Opus eſſe egregium. Cum enim Pontificii negent ſolam Scripturam normam eſſe fidei noſtræ, contendantque nimia obſcuritate laborare, quam ut intelligi poſſit, niſi cum ea conſenſus Patrum conjungatur; nihil aptius ad eos confutandos potuit facere *Dallæus*, quam ſi ea quæ ab iis objiciuntur Scripturæ, multo potiore jure Patribus, ut & plura alia, objici poſſe oſtenderet; quod egregie, meo quidem judicio, in eo Opere præſtitit. Scio eſſe confutatum a *Matthæo Scrivenero*, Eccleſiæ Anglicanæ Presbytero; at ea confutatio non effecit ut quiſquam de *Dallæi* Libro antea lecto & expenſo pejus ſentiret. Bonus ille vir, ut hoc ſolum dicam, non conflixerat cum Pontificiis, ut *Dallæus*, non norat quid ab iis ſoleret objici, nec ſatis etiam ipſos Patres verſaverat; ideoque de fine Operis, deque toto ejus inſtituto & rationibus *Dallæi*, perperam judicavit.

Hæc eo non dico, quod ſingulos verſus ejus Libri probem, aut nuſquam a *Dallæo* diſſentiam; quem, exempli cauſa, exiſtimo pla-

plane erraſſe in eo quod ſentit de antiquitate ſingularium Epiſcoporum, quam ego ad Apoſtolicam ætatem referendam puto; ſed Operis inſtitutum ſummatim ſpectatum, & pleræque rationes, quibus *Dallæus* utitur, mihi, ne quid diſſimulem, ſummopere probantur, ut aliis multis cis & trans mare viris eruditis. De quo noſtro judicio, ſi quis dubitet an rectum ſit, hoc unum in ejus gratiam facere poſſim; orare, nempe, dubitantem ut ſtudioſe id Opus legat, conferatque cum adverſario. Quod ſi fecerit, ſpernatque, re expenſa, *Dallæanum* Opus, & magni ſerio faciat *Scrivenerianum*, nihil erit amplius quod ei objiciam; rationes enim meæ re ipſa clariores eſſe non poſſent. Mirabor ejus judicium, at profecto ei non invidebo. Ignoſcendum etiam hoc eſſe cenſebo, ſi ceteroqui bonum ac religioſum virum ſe ſe præſtiterit; ſed neceſſitatem ſimilis ferendi judicii ſi mihi, aut aliis imponere nitatur, ni fecerim infamaturus, aut etiam acrius vexaturus, ſi poſſit; hanc eſſe dicam ſævitiam ac ſuperbiam, in nulla recte conſtituta Republica ferendam, aut certe probandam.

Sed de re ipſa, uſu, nimirum, Patrum; ſententia mihi eſt candide dicenda; mihi enim videor audire *Caveum* noſtrum, quaſi Senatus Litterarii præſidem, poſt rogatas aliorum ſententias, me quoque formula ſollemni rogantem: *dic Clerice.* Eo, nimirum, ſpectat quod dicit a me ideo probatum *Dallæi* Opus, quod excutiat debitam Patribus reverentiam; quaſi omnia molirer, ut ſpernerentur

Patres, *Dallæumque* laudaturus non fuiſſem, quamquam veriſſima docentem, niſi Patres aſpernatus eſſet. Quod ego pernego mihi conſilium fuiſſe, qui quid eſſet verum dumtaxat quæſivi; nec Patres proinde aut ſupra merita laudandos, nec infra honorem, qui eis debetur, habendos umquam cenſui.

Verum ut quod ſentio aperire incipiam, ante omnia diſtinguenda eſt, ubi ſermo eſt de Scriptoribus, reverentia quæ hominibus debetur, ab ea qua eorum Scripta proſequimur. Poſſunt enim homines ipſi coli & magni fieri, Scripta non item, & vicisſim.

Tria autem ſunt potisſimum, quæ reverentiam Scriptoribus conciliant mores, eruditio, & dignitates ſeu munera. Ut ὕστερον πρότερον incipiam, dignitates Eccleſiaſticæ, quibus plurimi eorum, qui Patres vocantur, ornati fuere, poſt eorum fata nihil eis reverentiæ creare, ſeorſim ſpectatæ, poſſunt; quia dignitates eo tantum in vivis coluntur, ut ordo in Societate Eccleſiaſtica divinitus conſtitutus ſacroſanctus habeatur, in totius Societatis utilitatem; quæ, ſine ordine, non magis ſtare poteſt, quam ſocietas Civilis. Verum honor mortuorum nihil amplius ad viventium Societatem pertinet. Ea de cauſa, Poteſtates omnes, quibus Civilis regitur Societas, majeſtatem, honorem, reverentiam illis creant qui iis ſunt induti; at mortuos non magis colendos, ac reverendos, quam ceteros homines, reddunt; quia jam ſunt exuti ea perſona, quam vivi geſſerunt, nec magis Societati prodeſſe culti, quam ſpreti nocere poſ-

possunt. Jam mimum vitæ, ut ita dicam, peregerunt, nec depositam personam umquam recuperabunt; qua proinde non amplius teguntur, ut honores ei debitos a nobis mortui exigant.

Societatis a Deo, ut dixi, constitutæ caussa, is honos debetur muneribus, ut ii etiam colendi sint, quorum dotes ac mores non satis consentiunt cum dignitatibus, quibus sunt ornati; ne dignitatis contemtus Societati ipsi sit noxius. At post mortem, dignitate in alium translata; æque libere, exempli gratia, de mortuo Rege, si ita libeat, judicamus ac de vilissimo opifice, sine ulla dignitatis Regiæ vel minima imminutione. Pariter de Pontifice Romano, vita defuncto, non aliter judicant ipsi Pontificii, quam de tenuissimo quolibet Sacerdote; sine ullo, ut recte censent, Pontificiæ dignitatis contemtu. Cur vero similia de Veteribus Episcopis judicia ferri nequeant, incolumi dignitate Episcopali, non intelligo.

Igitur non sunt nobis amplius commemorandæ dignitates Sacerdotum, Episcoporum, Archiepiscoporum, Metropolitarum, Patriarcharum; quas in vivis veneramur, non in mortuis. Nec nos fallant oportet Veteres humanitatis Ecclesiasticæ formulæ, qua dignitatibus illis ornati dicuntur ἅγιοι, ἁγιώτατοι, εὐσεβέστατοι, θεοφιλέστατοι, μακάριοι, aliaque id genus; quæ apud Græcos præsertim utramque paginam faciunt, in Actis Synodorum. Elogia hæc erant usus quotidiani,

 sa-

ſacerdotesque ſimiliter, apud Latine loquentes, ſe invicem *ſanctos*, aut *beatos* vocabant, ut nunc eos in hodiernis linguis, *dominos noſtros* vocamus; quibus verbis, non dotes aut virtutes animi, ſed perſonæ dignitas ſignificabatur.

Alterum, quod venerationem Scriptoribus antiquis conciliare poſſet, dixi eſſe eruditionem; quæ eſt rerum, diſpoſitionis & verborum, ut omnes norunt. De illorum autem eruditione, non ex fama, quæ fallax ſæpe eſt, ſed ex rebus ipſis, hoc eſt, ex eorum Scriptis, judicare debemus. Videndum an multa utilia noſſent, quorum cognitio nonniſi ab ingenio acuto, aut longo labore comparari poſſet; an ſcirent eruditione ſua uti, hoc eſt, recte ratiocinari ex iis, quæ vera eſſe compererant, eaque adcurato ordine diſponere; an quæ norant poſſent ita exprimere, ut Lectores doceant, delectent, an flectant, aut certe perſpicua cognitione rerum, quas deſcribunt, illuſtrent. Alioqui ſi nec res ipſæ magnam eruditionem redoleant, nec ratiocinationes firmæ ſint, nec ordo earum commodus, nec dictio perſpicua aut elegans; non video quid mirari in Veteribus poſſimus, & tantis laudibus extollere.

Hodie eruditus nemo haberi queat qui vulgaria tantum proferat, qui recte ratiocinandi regulas paſſim perfringat, qui nullo ordine utatur, qui nullam ſtyli, aut certe perſpicuitatis rationem habeat; nec intelligo cur velimus eruditionis laudem Veteribus multis tribuere, in quorum Scriptis hæc omnia animad-

advertere licet. Miserrima profecto est hodie sors nostra, quibus sine magno labore, sine singulari rerum delectu, sine ratiocinationibus in quibus nihil acutissimi Dialectici merito carpere possint, sine adcurato ordine, styloque minimum perspicuo, negatur eruditionis honos; felicissima contra fuit Veterum, quorum in multos, omnibus hisce aut maxima eorum parte destitutos, tantæ laudes congestæ fuere.

Ego vero, nec sane solus, ut ingenue profitear quod sentio, cum de Patrum eruditione judicare adgredior, eadem mensura, ut ita dicam, utor, qua soleo Recentiorum eruditionem metiri; neque enim puto oportere eos meliore esse conditione, quam nos. Quæ laudo & miror in nuperis Scriptoribus, ea in antiquis eodem honore prosequor; quæ sperno, aut rideo in Recentiorum Scriptis, ea non pluris facio, cum mihi occurrunt in Veterum monumentis. Sane timerem ne dissimulationis insimularer aut iniquitatis, si laudarem in *Irenæo*; aut *Cypriano*, exempli causa, quæ spernerem in *Luthero*, vel *Calvino*; aut vicissim.

Objiciet forte aliquis Veteribus non fuisse subsidia illa studiorum, quæ nunc habemus, in tot libris, summa arte, & adcurato ordine conscriptis, quorum ope disciplinas quasvis facilius addiscimus, quam illi poterant; necdum etiam disciplinas ipsas ad tantam perfectionem adductas fuisse, ad quam nunc sunt; ideoque a Recentioribus plura jure exigi posse, quam a Veteribus.

Atqui ex hac objectione non obscure liquet eos, qui docti apud Veteres dicuntur, non esse æquiparandos iis, quibus idem elogium, hoc nostro tempore, merito tribuitur; ex quo consequens est, ut eruditionis saltem causa pluris faciamus, magisque revereamur nostri sæculi Scriptores, quam antiquos; si eruditio Recentiorum multo major sit, quam Priscorum. Possumus laudare doctrinam Veterum, si ita libeat, at pro modulo illius ævi; non ita ut multum Recentiorum eruditioni præferatur, quemadmodum solet a multis fieri. Possumus ignoscere delectui rerum parum severo, ratiocinationibus minus firmis, ordini confusiori, stylo non satis castigato, nec perspicuo; at hæc præferre iis, quæ contrariis ornamentis ingenii, judicii, eloquentiæ prædita sunt, minime sustinemus.

Eadem nunc concertatio est inter Eruditos, de reverentia Veteribus debita, eorumque collatione cum Recentioribus, quæ fuit olim Romæ, ætate Augusti, de Poëtis antiquis & novis. Erant qui nonnisi antiqua mirarentur, & quibus nova omnia sorderent; quos egregie confutat *Horatius*, in Epist. ad Augustum. Itaque licet ab hoc mutuemur quæ de Veteribus dicamus:

*Non equidem insector*, inquit ille, *delendaque carmina Livi*
*Esse reor* ——

Nec ego censeam abjicienda Scripta Patrum, quia non satis erudita, si cum hodiernis conse-

ferantur. Est iis & sua utilitas non spernenda, ut mox ostendam.

*— Sed emendata videri*
*Pulcraque & exactis minimum distantia, miror.*
*Inter quæ verbum emicuit si forte decorum, &*
*Si versus paullo concinnior unus & alter*
*Injuste totum ducit, venditque Poëma.*

Sic & hodie miror in eruditionem Veterum tantas laudes congeri, ut videatur multum superasse summam doctrinam, & ad rectæ rationis normam exactam, quam in hodiernis nonnullis Scriptoribus laudamus. Sunt multi etiam, qui cum nihil ferme ex Patrum Scriptis legerint, præter concinnas quasdam, elegantes, piasve sententias, quibus viri eruditi solent, quasi gemmis quibusdam, Scripta sua exornare; judicant ex hisce gnomis de integris Patrum libris, falso putant omnia esse similia aut certe ad eas accedere, vimque ratiocinationum, & ordinis adcurationem ubique cum elegantia dictionis certare. Quod si numquam eorum aliquot Opera integra legant, quod permultis contingit; collectam ex ramentis illis aureis imaginem Patrum animo suo obversantem numquam mutant, nec ferre possunt eos, qui ex adtenta illorum lectione de iis aliter prorsus judicant. Quin etiam sunt, qui eo animo Patres legunt, ut mirentur quidquid tandem in iis invenient; utque judicium illud suum tuean-

 tur,

tur, ne videantur leves, neve tempus frustra absumserint, pergunt ea laudare Veterum Scripta, quæ, si a Recentioribus profecta essent, ab iis merito exsibilarentur.

Contra, si quid non ita pridem scriptum sit, acri judicio, summaque ordinis & sermonis elegantia; continuo eos fastidire hoc videas, ideo tantum quod nuper editum sit. Ego vero, ne mentiar,

*Indignor quidquam reprehendi, non quia crasse*
*Compositum, illepideve putetur, sed quia nuper,*
*Nec veniam Antiquis, sed honorem & præmia posci.*

Quare autem ita se gerebant Romani, *Horatii* ætate? Eadem eorum judiciorum fuit ratio, quæ nunc est horum, a quibus antiqua usque adeo laudantur, & quam partim jam adtigi. Audiamus *Horatium*, quæstioni propositæ verissime respondentem:

*Vel quia nil rectum, nisi quod placuit sibi, ducunt;*
*Vel quia turpe putant parere minoribus, & quæ*
*Imberbi didicere senes perdenda fateri.*

Quod olim visum est & defendi a juvenibus cœptum, in senectute non facile revocatur; si præsertim, quod subjicit *Horatius*, fama eruditionis inde possit captari; aut si invida sit

sit indoles, & nova feliciter audentibus succenseat. Non tam amantur antiqua, quam libenter deprimuntur hodierna ingenia; nec jucundius quidquam invidis accidere potest, quam si ea legisse ferantur, quæ inaccessa sunt ceteris.

*Jam saliare Numæ carmen qui laudat, &*
*illud*
*Quod mecum ignorat, solus vult scire videri;*
*Ingeniis non ille favet, plauditque sepultis,*
*Nostra sed impugnat, nos, nostraque lividus odit.*

Non dubito quin etiam multi eruditionem Patrum hodiernæ collatam jactent, ex mera invidia erga eos, qui ea aperire conantur, quæ clausa prioribus sæculis fuerunt. Sed ut redeam ad id quod modo dicebam, multa subsidia defuisse Patribus, quæ nobis nunc suppetunt: tametsi non diffiteor nos paratiores esse a ratione ac via veri investigandi, & inventi ordine proferendi ac probandi; tamen multa adfuere auxilia Patribus quibus, si verum quæras, nescivere uti, & quibus nos bardi ac stipites, si nonnullis credimus, egregie uteremur, si hodie nobis suppeterent.

Innumeri nunc periere Scriptores, ex quibus permulta haurire licuit pertinentia ad historiam & mores gentium finitimarum populi Hebræi, quibus Historia Sacra potuisset illustrari. At cum eos evolvere licuerit Veteribus, vix inspicere dignati sunt. Multos ha-

habuerunt Hiſtoricos Ægyptiorum, Tyriorum, & Babyloniorum, ex quibus Chronologiæ Sacræ non obſcura lux adfulſiſſet. Herodis vitam habuerunt a *Nicolao Damaſceno* conſcriptam, ex qua annum natalem Chriſti colligere potuerunt; ſed perinde fuit, ac ſi non habuiſſent. At unde, inquies, noſti ex iis quæ non vidiſti potuiſſe multa hauriri prætermiſſa aut neglecta a Patribus, quæ prodeſſent cum Sacræ Scripturæ, tum etiam Chronologiæ intelligendæ? Hinc, nimirum, colligo, quod ex Scriptoribus qui nobis ſuperſunt, & ex deperditorum pauculis fragmentis, innumera ſint a Chronologis recentioribus collecta, quæ univerſam Antiquitatem fugerant, idemque dicere liceat de Scripturæ nuperis Interpretibus. Ope Artis Criticæ & Chronologiæ, ex paucis fluviis aut rivulis potius multo plura hauſta ſunt a Recentioribus, quam ex univerſo innumerorum Scriptorum Oceano hauſtum umquam a Veteribus fuerat. Quid ergo facere non potuiſſemus, ſi aditus nobis patuiſſet ad illa maria, quæ dudum prorſus exaruerunt?

Habuerunt etiam Veteres innumeros Philoſophos, qui nunc interciderunt, ex quorum Scriptis multa, fateor, hauſerunt, illuſtrandæ, ut putabant, Religioni Chriſtianæ idonea; ut vel ex *Clemente Alexandrino* & *Euſebio* manifeſtum eſt. Sed ſi rem adcurate penſitemus, non eſt cur magnam gratiam eis deberent, a quibus innumera figmenta inania acceperant, nec artem inveſtigandi veri, aut recto ordine exponendi didicerant. Quin etiam

for-

forte præſtaret ab iis Philoſophos numquam lectos fuiſſe, qui Theologiam Chriſtianam, admiſtione Philoſophiæ Ethnicæ, corruperunt, quod merito *Origeni* exprobratum eſt; non quod ille ſolus deliquerit, ſed quod maxime omnium Philoſophia abuſus ſit, auctorque fuerit & exemplum peccandi innumeris aliis, qui poſtea vixere. Huc accedit quod imitatis Veteres Philoſophos exigua cura fuerit ratiocinationem nullam proferendi, quæ non firma eſſet, aut ordine collocandi quod invenerant, aut inveniſſe ſe putabant. Igitur, neque hac in re, eruditio Patrum magnam illis reverentiam parere poteſt.

Quod vero adtinet ad eam eruditionis partem quæ ad verba ſpectat, hoc unum plerisque Veteribus concedere poſſumus, peritos fuiſſe Linguæ vernaculæ, Græcos Græcæ, Latinos Latinæ; & quidem ita ut maxima eorum pars, præſertim apud Latinos, pro modulo ſuæ ætatis, non ad normam meliorum ſæculorum, ſcribere poſſent. Præterea neceſſe eſt eos, qui ſibi Patres admirationi eſſe dictitant, fateri plerorumque ſtylum eſſe potius declamatorium, quam ſedatum, & qualem eſſe oportet docentium. Quo fit ut ſæpe ægre adſequamur quid ſibi velint, & optemus ſubinde eos ἀμαθεστέρως μὲν, σαφεστέρως δὲ ſcripſiſſe. Hæc ſane mentis ſuæ exprimendæ ratio fecit, ut pauci perſpicue intelligerent Religionis Chriſtianæ dogmata, ut oſtendi in Hiſtoria Rhetoricorum Studiorum, ſubjecta I. Parti *Artis Criticæ*.

Unus

Unus quidem, aut alter, ut *Origenes* apud Græcos, *Hieronymus* apud Latinos, operam dedere addiscendæ Linguæ Hebraïcæ; sed nec scivere eam in rem subsidiis, quæ habebant, uti, nec iis quæ norant multum usi sunt. Vigebant, iis temporibus, Linguæ Syriaca & Arabica, in vicinia Palæstinæ & Ægypti; quæ Linguæ, cum maximi essent usus, ad intelligendam Hebraïcam, debuerant ab iis edisci, quod tamen factum non est. At Syri ipsi & Arabes Christiani perfacile potuissent a Judæis Hebraïcam Linguam discere, & cum sua comparare, cum maximo suæ ætatis & posteritatis fructu. Etiam Pœnis, nisi iis mens læva fuisset, licuisset, ope Punicæ suæ Linguæ, ad cognitionem Hebraïcæ pervenire, eamque domesticis opibus illustrare; cujus rei *Sam. Bochartus*, XVII. sæculo, ea edidit specimina, quæ desiderium Punicorum Scriptorum vehementissimum in nobis accenderunt, sed frustra. Perierunt illi & quæ rustici tunc facile facere potuissent, si ars ad id quod norant accessisset, ne doctissimi quidem viri nunc præstare queunt.

Maluerunt Græci & Latini statuere absurdissime divinitus fuisse adflatos Septuaginta Interpretes; quam laborem subire, qui exantlandus fuisset, in addiscenda Lingua Hebraïca. Maluerunt in Linguæ suæ cognitione adquiescere, & allegoricum interpretandi genus, quo nihil futilius dicamne an facilius erat, sectari; quam grammatice singula, ut decuit, utque nunc facimus, explicare. Quisquis enim summa capita Theologiæ atque

que Ethicæ Christianæ norat, & facultatem aliquam vernacula lingua dicendi sibi comparaverat, ex quolibet loco Scripturæ, quidlibet poterat deducere; allegoricis, nimirum, machinis, prout libebat, adhibitis. Quisquis eam rationem studiorum, eamque loquendi & scribendi consuetudinem nostræ prætulerit, & Patres majore reverentia dignos, quam optimos nostri sæculi Interpretes censuerit, idem post inventas fruges, glandibus vescatur, per me licet.

Ex hisce omnibus colligo si reverentia, quam Antiquitati deberi a nobis volunt viri eruditi, hac opinione nitatur, quod fuerit postremis hisce ætatibus eruditior, falso eam niti judicio. Si vero, quamvis Recentioribus pares non sint, ad eruditionem quod adtinet, Veteribus tamen suam quoque reverentiam tribuendam contendant; non intercedo quidem, modo ne nimia exigatur.

At tertia res est, ob quam Veteribus reverentiam singularem deberi volunt; nimirum, mores sanctiores, quam ferant hæc tempora, & qui eleganti oratione solent describi. Si verum esse concederem quidquid de sanctitate primorum Sæculorum, tanta pompa verborum, jactatur; attamen ex sanctitate morum, & constantia in Religione Christiana, minime sequeretur, egregios Scriptores Patres haberi oportere. Sanctitas ac constantia non sunt necessario cum summo judicio in scribendo, summaque adcuratione conjunctæ XVI. sæculo, permulti non deterioribus moribus, neque minore constantia fuere, quam

quam primis fæculis; qui fanguine fuo, ad tuendam Veritatem effufo, Deo Opt. Max. perlitaverunt; quos tamen egregiorum Scriptorum numero nemo habuerit. *Juftinus* quoque *Martyr*, exempli caufa, quamvis merito, virtutis & conftantiæ caufa, laudetur, Scriptoris eruditi atque adcurati laudem a nemine tulerit, qui eum legerit & ferio loqui velit. Igitur nihil vetat quo minus concedamus eorum inculpatam fuiffe vitam, & miram malorum patientiam, quorum Scripta tamen magni facere non poffumus. Iis honorem tribuimus, qui viris bonis; non eam laudem, quæ doctis tantum debetur.

Deinde boni viri, antiquiorum fæculorum, non fuere tamen nævorum omnium expertes: uti nec optimi quique noftræ ætatis. In omnibus fuit femper miftura humanæ infirmitatis, cui quidem ignofcere nos noftri memores decet; fed non plaudere, quafi rei laudandæ. Solus Chriftus fuit immunis, ut omnis erroris, ita & omnis vitii; ideoque per omnia laudandus, & quafi abfolutiffimum virtutis exemplar nobis effingendum deligendus. Vifne gravia indicia adfectuum humanorum, fæculo fecundo fe fe prodentium, in Epifcopis & Martyribus? Lege quæ habet Hiftoria Ecclefiaftica de contentione, circa diem Pafchatis, tempore *Victoris* Epifcopi Romani exorta. Vifne fimile quid, in tertio fæculo? Suppeditabit difceptatio *Cypriani Carthaginienfis* cum *Stephano Romano*.

Igitur quemadmodum eorum virtutes objici

ci nobis non debent, ut si quid ab iis delictum est id probemus: ita nec ut eorum errores admittamus, efficere possunt. Revereamur ergo virtutes, recte dicta amplectamur; at a vitiis ac erroribus caveamus, nec reverentia nostra magis superet eorum merita, quam castigationes minus recte factorum, aut hallucinationum. Itaque, eorum jure, iisdemque legibus erga Veteres utemur, ac erga Recentiores; atque ex iis reverebimur, aut spernemus; absolvemus, aut damnabimus.

Quæ dixi hactenus eo spectant, ut intelligatur haud paullo major deberi reverentia viris magnis, quos patrum nostrorum & nostra hæc ætas tulit; quam priscis, quos omni eruditionis genere multum superarunt. At, inquies, quis ergo usus erit Scriptorum Patrum? Idem, qui ex omnis generis Scriptoribus colligitur.

Primum cum nullos possimus habere alios certiores & fide digniores testes eorum quæ ætatibus, quibus vixerunt, gesta & credita sunt, ex eorum Scriptis Historiam factorum & dogmatum hauriemus. Quibus in rebus, ne fallamur, adhibenda erit cautio & diligentia, ut alias fieri solet, si quæ res paullo gravior agitur. Cuilibet testi non credimus, circumstantiasque omnes rei adtento animo consideramus, antequam judicium feramus. Non æquum erit, exempli gratia, ut indicta causa quemquam damnemus, ex sola adversarii accusatione; hoc est, ut credamus adversario qui acerbe invehitur in eum quem er-

erroris insimulat, & cujus nullum superest monumentum. Nam cum facile sit etiam adtentum, nec ullo præjudicio laborantem errare, in aliena sententia; multo facilius errabit qui adfectu præpeditus in adversarii sententiam, ut eam infamet, inquiret. Non credemus, sine examine, in æstu disputationis versanti, cum confirmabit suam sententiam semper in Ecclesiis Christianis viguisse; contra vero adversarii dogma nuper inventum, aut semper antea damnatum fuisse. Non temere habebimus fidem Historico, qui partibus manifesto favet; cum loquitur de iis, quæ ab adversariis gesta sunt. Quæ certo resciri poterunt distinguentur ab incertis, atque in medio relinquendis; prout, nimirum, suppetent aut deerunt nobis testes, quibus tuto credere possimus, quemadmodum fieri solet in reliquis omnibus Historicis.

Secundo, legentes Opera Patrum, de ratiocinationum vi & ordine, ex legibus Dialecticæ judicabimus, stylumque ad Rhetorum canones exigemus. Ratiocinationes omnes, in quibus ex perspicuis aut demonstratis enunciationibus necessario colligetur quidpiam, probabimus, amplectemur, laudabimus. Si sint tantum credibiles enunciationes, aut collectio minus necessaria, eas inter credibilia referemus; at non ita eis adsentiemur, quasi res perspectæ essent. Quod si collectio prava sit, aut enunciationes ex quibus deducitur ne verisimiles quidem haberi queant, totam ratiocinationem spernemus. Uno verbo ut omnia complectar, non magis infirmas col-

lec-

lectiones, aut paralogismos Patribus condonabimus; quam Recentiori cuivis, e media turba, Scriptori. Eodem hic jure omnes omnium sæculorum tenentur mortales; nec quod ex Dialecticis regulis nunc est paralogismus, in Scriptis nostris, potest haberi recta ratiocinatio in Veterum Christianorum Libris. Qui autem eorum Scripta legerunt, nec imperiti sunt Dialecticorum canonum, dicant, si ita eis videatur, quam sæpe in paralogismos inciderint, præsertim ex enunciationibus Scripturæ, perperam intellectis, deductos.

Ad ordinem quod adtinet, doceant nos iidem annon pleraque eorum Scripta similiora sint silvæ nullo ordine exortæ, hic rariori, illic densiori, quam nemori ad quincuncem consito? At, inquies, ita, etiam scripserunt vulgo Philosophi & Oratores Ethnici, nec majorem ordinem invenias in Scriptis *Senecæ*, *Plutarchi*, *Dionis*, *Libanii*, *Themistii* & aliorum. Non nego, sed quod vituperamus in Ethnicis, id profecto laudari non potest in Scriptoribus Christianis. Postquam studiose legimus orationem quampiam *Gregorii Nazianzeni*, ut hoc exemplo utar, sæpe ægre potissimum ejus scopum adsequimur; nec capimus cur a cogitatione quapiam inceperit, cur in aliam desierit; cur hæc sequantur, illa antecedant, aut quomodo inter se connectantur; ita ut, quovis alio ordine, non possent æque commode collocari. Atqui oportuisset ante omnia semper proponi perspicuis verbis quid probandum sit, deinde a Lectore

facile intelligi qua via orator ad finem ſibi propoſitum contendat. Sin minus, exiguus eſt orationis fructus, nec diuturna eorum, quæ legimus, memoria. Attamen plerique Patres ita paſſim ſcripſerunt.

Ad ſtylum vero quod ſpectat, non dicam eorum nonnullos, ut *Tertullianum*, & *Hilarium*, obſcuriſſime ſcripſiſſe; ſed declamatoria pleroſque dictione uſos eſſe, quod jam antea animadverti; unde fit ut ſæpe difficillimum ſit perſpicuas ac plenas notiones eorum quæ ſenſerunt colligere. In controverſiis præſertim paſſim ambiguitatibus laborant, nec tam ſcribunt ut Lector eorum ſententiam adſequatur, quam ut vincant, aut ne adverſarius ex illorum verbis occaſionem infamandæ eorum ſententiæ adripere poſſit. Nervos omnes intendunt, ut graviſſimos ictus inferant adverſario, utque declinent ejus tela; ſed de perſpicua & plena notione ſententiæ ſuæ, in Lectorum animis relinquenda, parum ſolliciti ſunt. Animadvertere hoc licet ubique, in libris *Auguſtini* contra Pelagianos, quos libros ultimum Operum ejus volumen complectitur; ubi ita loquitur ut *libertatem* videatur homini peccatori relinquere, quotieſcumque Pelagianorum objectionibus aliter reſpondere non poteſt, alibi vero non obſcure eam illi detrahat; unde natæ hoc noſtro ſæculo acerrimæ controverſiæ, inter viros eruditos Eccleſiæ Romanæ, de ſententia *Auguſtini*, quem diſſidentes ad ſe trahere utrimque conantur. An ejuſmodi ſcribendi ratio placeat iis, qui admirari ſe Patres ajunt, equidem neſ-

nescio; at profecto in hodiernis Scriptoribus non placeret, nec intelligo cur jure singulari, hac in re, Veteres gaudere necesse sit.

Verum videor mihi audire eos, qui Veteres jactare solent, hic exclamantes a me eis omnem auctoritatem detrahi; quam antiquitas saltem eis tribuit, præsertim quando inter se consentiunt; fuisse propiores temporibus Apostolicis, ac proinde Apostolorum sententiam veluti per manus ad eos puriorem, quam ad nos tot sæculis remotiores, pervenisse.

Libenter quæsiverim a viris eruditis, quid in hoc negotio sit *auctoritas*; an sit jus quodpiam singulare, quo, si quid incidat controversiæ, Veteres, quamvis eruditione necessaria, ad rem penitus cognoscendam caruerint, nec in eo negotio ratiocinati sint ad rectæ Rationis normam; tamen sint audiendi, quasi perspicaces judices ac duces certi, quorum judicium sequutis error sit minime timendus? Ubi vero Deus Patribus promisit, quamvis judicarent de re sibi incomperta, nec bene ratiocinarentur, a vero non aberraturos? Nusquam, sine dubio. *Auctoritas* ergo eorum, quæcumque tandem sit, his nitetur fundamentis, quod nos doceant rem sibi perspectam, utanturque rationibus, quibus adsensum negare non possumus. Atqui in hujusmodi negotiis non auctoritate Veterum adfirmantium, sed rebus ipsis movemur. Iis credimus, non quia sunt Antiqui; sed quia eorum judicium omnibus Veritatis indiciis est ornatum.

Sed annon, inquies, antiquitas auctorita-

tem quamdam conciliat judiciis, qua ceteroqui carerent? Annon idem judicium, in Scriptis Patrum, majoris est ponderis, quam in Recentiorum libris? Antiquitas, si quid judico, pondus & auctoritatem judicio addit, si res agatur, quæ non potuerit probe nosci, nisi ab Antiquis, quod ad eorum ætatem pertineat; modo ne testimoniis Veterum quæ proferuntur desint indicia veri, quæ in testimoniis postulari solent. Exempli causa, si quæratur an ab ætate Apostolorum singulares fuerint Episcopi Ecclesiis præfecti; cum videam hoc adfirmari ab universa Antiquitate, pluris ejus testimonium facio, quam omnes ratiocinationes Recentiorum; quia sermo est de re, quam ab Antiquis solis accipere possumus, & quia omnia Veritatis signa Veterum hoc testimonium comitantur. Verum si quæsiveris quis sit sensus loci cujuspiam Veteris Testamenti, Antiquis non magis credam, quam Recentioribus; quia nullum singulare auxilium habuerunt, quo nos careamus, & cujus ope sententiam loci obscuri intelligere potuerint. Exempli gratia, si quæretur sensus verborum Psalmi CX, 3. מרחם משחר לך טל ילדתך *ex utero auroræ tibi ros genituræ tuæ*, proferanturque LXX. Intt. qui verterunt: ἐκ γαςρὸς πρὸ ἑωσφόρȣ ἐγέννησά σε, *ex utero ante Luciferum genui te*; tum addatur chorus Patrum hunc locum summo consensu interpretantium, de generatione æterna Filii; majus apud me pondus rationes grammaticæ, quæ adferuntur a Recentio-

tioribus, quam auctoritas universæ Antiquitatis, habebunt. Cur vero? Quia, nimirum, Veteres fuere destituti præsidiis necessariis, ad judicandum an LXX. Intt. recte vertissent; aut, quod perinde est, iis quæ habebant usi non sunt.

Quotiescumque res agetur, de qua judicium ferri nequeat, nisi ope Grammaticæ, verbi gratia, & Logicæ; pondus judicii non ex antiquitate judicum, sed ex recto usu utriusque illius Disciplinæ pendebit; nec gravius habebitur in Veterum, quam in Recentiorum Libris, nisi forte melius Grammatica & Logica sint usi. Consensus ad evertendas rationes grammaticas, aut dialecticas nihil facit; statim enim animo occurrit ratio consensus, petita ex communi ignorantia rerum, quibus ab errore consentientes potuissent revocari. Sic quamvis Græca & Latina Ecclesia, per aliquot sæcula, post Apostolorum ætatem, magnifice sensisset de Versione LXX. Interpretum, quos multi divinitus adflatos, ceteri optimos Interpretes constanter judicarunt, non dubitavit *Hieronymus* eos erroris arguere, novamque versionem adornare, quam merito tandem probarunt Occidentales Ecclesiæ; quia norat eam versionem cum Hebraïco Codice a perpaucis conferri potuisse. Nec nos hodie dubitamus, quotquot cum Hebraïco Codice eam contulimus, multo meliorem potuisse fieri. Igitur consensus Veterum, rationibus destitutus, tum demum urgeri potest, cum res aguntur, quæ sine ratiocinatione aliisque præsidiis, cognosci ab iis

potuerunt, nec nos aliter quam eorum *teſtimoniis* noſcimus; quale eſt, ut dixi, Episcopale regimen, a temporibus uſque Apoſtolicis deductum.

Sunt qui velint conſenſum maximæ partis Chriſtianorum ejuſmodi eſſe indicium veri, ut res de qua conſentiunt ad Examen revocari amplius non poſſit. Verum primum definiendæ eſſent voces *maxima pars Chriſtianorum*; poſſunt enim hæc verba intelligi de unius ætatis hominibus conſentientibus; aut de maxima parte Chriſtianorum per omnia ſæcula, quæ ab Apoſtolis ad hanc uſque ætatem fluxerunt. An ſatis eſt una ætate conſentire pleroſque Chriſtianos, quamvis de ceterorum conſenſu non conſtet, ut ſciamus quidpiam eſſe verum? An omnium ſæculorum conſenſus eſt probandus? An Chriſti & Apoſtolorum auctoritas, ſi eorum ſententia manifeſta ſit, ſatis gravis non eſt, ut controverſia dirimatur; quamvis ſequentium ſæculorum ſuffragia ignota ſint? Quod ſi nec Chriſtus, nec Apoſtoli quidquam ſtatuerunt de re, quæ in controverſiam vocatur; an ſequentes ætates jus habent judicii ferendi, quod ſine examine ſit admittendum? Deinde quæcumque horum, quaſi vera adfirmarentur, probanda eſſent, non ambiguo Dei promiſſo; ex quo liqueret Deum operam dare ne *maxima pars Chriſtianorum in errore conſentiat*, eo ſenſu quo hæc enunciatio fuiſſet intellecta. Quale promiſſum cum nuſquam exſtet, ſequitur ut in Chriſti, ejusque Apoſtolorum ſolorum auctoritate ἀβασανίστως adquieſcamus,

mus, quorum dicta Deus miraculis confirmavit.

Scio objici hic ſolere traditionem, quam ore dumtaxat Apoſtoli diſcipulis reliquerint; quæ deinde cum ore, tum Scriptis, propagata ſit, & quæ initio purior fuerit, cum ob probitatem hominum, tum etiam recentem omnium memoriam. Verum huic objectioni multo major ſpecies ineſt, quam veritas. Etenim; ne dicam quæ in Antiquitatem quamvis dici queant, ſine ratione & contra fidem Hiſtoriæ, resque adeo ipſas, plerosque omnes Apoſtolorum diſcipulos indolem ſanctiſſimorum illorum virorum retuliſſe, & ſumma cura ac fide magiſtrorum doctrinam addidiciſſe, ac retinuiſſe ſtatueremus. Chriſtus quidem numquam exſpectavit eum prædicationis Evangelii exitum, ut tantum bonos ac veritatis amantes in Eccleſiam Chriſtianam adliceret. Liquet hoc ex Parabolis de Zizaniis & Everriculo *Matth.* XIII, 24. & ſeqq. in quibus manifeſto oſtendit malos bonis, in Eccleſia Chriſtiana, ab initio miſtum iri; & tum demum ſeparandos, cum ad judicium ipſe venturus eſt. In ipſo Apoſtolorum collegio fuit Judas; inter primos Apoſtolorum diſcipulos Ananias & Sapphira, homines avari & doloſi; tum etiam Judæi ritibus antiquis ſuperſtitioſe addicti, & qui Paullo Apoſtolo multas moleſtias crearunt; deinde Gentiles tumultuoſi, qui in Eccleſia Corinthia omnia miſcebant, quamvis & ipſi varia cœleſtia dona accepiſſent, ut docet Paulus 1 Cor. XII. & alibi; poſtea & homines ambitioſi, qualis

Diotrephes ille, qui Joannem Apostolum spernebat: denique multi alii, quos in Scriptis suis non raro castigant. Potuerunt facile esse, inter ejusmodi homines, qui doctrinam Apostolicam adulterarent; imo vero fuerunt, viventibus ipsis Apostolis, in quos Paulus aliquando graviter invehitur, ut Epist. ad Galatas Cap. I. & alibi. Fuere, ut sunt semper, homines etiam minime mali, sed exiguo judicio; qui & audita & lecta male intelligere potuerunt, & quasi Apostolica dogmata errores suos propagare.

Ea ætate, quæ Apostolicam proxima excepit, floruit fabulator *Papias*, qui bonum *Irenæum*, & alios multos traditionibus veluti Apostolicis fefellit. *Eusebius* Lib. III. c. 39. *σφόδρα σμικρὸν τὸν νοῦν*, *exigui judicii* fuisse non falso prodidit; *attamen* PLERISQUE *post ipsum Ecclesiasticis viris similes opinionis* (de regno Christi in terris mille annorum) *auctor fuit hominis* ANTIQUITATE *sententiam suam tuentibus*: Πλὴν καὶ τοῖς μετ' αὐτὸν ΠΛΕΙΣΤΟΙΣ ὅσοις τῶν Ἐκκλησιαστικῶν τῆς ὁμοίας αὐτῷ δόξης παραίτιος γέγονε τὴν ΑΡΧΑΙΟΤΗΤΑ τἀνδρὸς προβεβλημένοις. Dignum Caput illud *Eusebii*, quod integrum adtente legatur, nam ex eo intelligere licebit, apud antiquissimos Christianos, non defuisse homines parum cautos, qui sibi facile imponi paterentur, & forte etiam parum veri amantes; ac proinde antiquitatem solam non posse veluti Christi commeatum haberi, quo conspecto omnes, qui eum gerunt, sint quasi testes fide digni admittendi.

Mul-

Multi deinde Græci, non tantum eruditi, & adcurati inquisitores Veritatis, sed etiam rudiores in Ecclesiam Christianam ingressi sunt; nec contenti simpliciter narrare quæ a magistris acceperant, ea, prout poterant, interpretabantur, ornabantque & tuebantur contra Ethnicos, aut Hæreticos. Philosophia Ethnica veluti succenturiata venit Theologiæ Christianæ, eamque non parum vitiavit, ut exemplo *Clementis Alexandrini* ostendi. Hæc quidem condonare partim possumus animo simplici, quo fiebant; sed laudare, aut plane excusare non possumus. *Guilielmus* quidem *Caveus*, qui mihi occasionem hac de re scribendi præbuit in Anglica *Clementis* vita, postquam dixit errores, qui Alexandrino Catechistæ exprobrantur, inveniri & in aliis Scriptoribus primævis: *nec mirum*, inquit, *bonos ac pios viros eorum temporum, qui perpetuo distinebantur acerrimis controversiis, hinc cum Ethnicis, illinc cum Judæis, Hæreticisque, non semper* ὀρθοτομῆσαι *in nonnullis subtilioribus capitibus* &c. Imo vero propter controversias illas, præsertim cum Hæreticis, debuissent dare operam, ut caute & adcurate de singulis rebus loquerentur, ne erroribus fenestram aperirent. Nec levia omnia fuere capita, in quibus a vero aberraverunt, ut satis liquet ex ejusdem *Clementis* exemplo.

Sed, nisi Veri nos pudeat, fateamur oportet, post Apostolos, qui ex institutione ipsa Christi & divino adflatu *in omnem veritatem ducti fuerant*, & Apostolicos aliquot viros cœlestium illorum donorum participes; cum

ars

ars & ratio non ſuccederent inuſitatis illis donis, ſed tantum nonnulla declamandi facultas; Theologiam Chriſtianam non modo non ſatis commodo ordine traditam fuiſſe, ſed ne ſatis quidem plene ac perſpicue. Viri boni videntur tunc temporis in notionibus obſcurioribus acquieviſſe, quæ certe ſeſe paſſim produnt in Scriptis, quæ temporum injuriæ erepta ad nos pervenerunt. Cum Linguæ Hebraïcæ ſacræque Criticæ non eſſent periti, Vetus & Novum Teſtamentum, ſola divinarum revelationum non dubia, nec fallacia monumenta, non ſatis commode interpretabantur, & paſſim torquebant. Ideoque ſi ex omnibus Scriptoribus ſecundi ſæculi, qui ſuperſunt, colligas ſummam quamdam Theologiæ, Religionisque Chriſtianæ; animadvertes varia eſſe capita, de quibus difficile eſt ſcire quid ſenſerint. Ceteroqui non negarim pleroſque in ſummis capitibus recte ſenſiſſe, quamvis non ſint reliqua ſubtilius exquirenda.

Poſtquam vero res Chriſtiana aucta eſt, plures plura ſcripſerunt, definitiones a Conciliis conditæ ſunt, conſtitutaque varia dogmata, & loquutiones quibus exprimerentur, vel uſu, vel auctoritate Synodorum conſecratæ. Verum hiſce etiam temporibus, hoc eſt, ex quo Imperatores facti ſunt Chriſtiani, multo magis florebat facultas declamandi, & philoſophandi, more Ethnicorum; quam ars interpretandi Scripturam ex grammaticis regulis, & adcurate etiam ratiocinandi canonibus. Qua de re antea jam dixi.

Se-

Sequentia sæcula, cum apud Græcos, tum apud Latinos, erroribus & dissidiis infamiora sunt Theologiæ Christianæ peritis; quam ut cum nostra ætate ea conferri patiantur. Nec Veteris nec Novi Testamenti divinas Tabulas adcuratius interpretari, lapsu temporis, didicerant, nec ullas alias disciplinas diligentius excoluerant. Imo in meram barbariem paullatim delapsi, mirabantur priorum ætatum Scriptores quos non intelligebant; nec proinde aut eorum errata emendare, aut vere dictis quidquam addere potuerunt.

At tandem, XVI præsertim sæculo, & hoc nostro XVII, cum disciplinæ omnes & quæ pertinent ad Antiquitatis, Linguarumque demortuarum intelligentiam, & quæ rerum ipsarum cognitionem tradunt, & quæ veri, in quavis arte, inveniendi ac exponendi rationem docent, ad multo majorem perfectionem adductæ essent; antiquissima illa Religionis divinitus revelatæ monumenta multo melius explicari, certioraque ex iis consectaria duci, capitaque omnia Theologica rectius tradi cœperunt, quam umquam antea ab Apostolorum ætate factum fuerat. Quod multo citius contigisset, si Majores nostri judicio suo maluissent uti, quam alieno; neque enim ingenia defuisse puto posterioribus sæculis, sed artem dumtaxat; quæ nimia, cæcaque admiratione priorum veluti oppressa jacebat. Quare contigit idem Theologiæ Christianæ, quod Philosophiæ: quæ tum demum cum fructu, ut par erat, excoli & perfici cœpit,

cum

cum homines cœpere recordari ſibi Rationem non minus eſſe datam, quam *Ariſtoteli;* excuſſaque admiratione Antiquitatis, dogmata ejus ad examen revocare. Ut igitur qui nunc pulcherrima Recentiorum in Philoſophia inventa oblivioni mandari vellent, ut Ariſtotelea decreta ſola iterum obtinerent, tenebras luci præferri merito cenſerentur: ita qui nunc nos revocant ad elementa, ac prima veluti tentamina Patrum Græcorum, aut Latinorum, pluriſque ea fieri volunt quam quæ nunc ſcimus; ii virum adultæ ætatis pertinaci ſtudio, longaque experientia edoctum ad pueritiæ ruditatem redire volunt, majoreque in pretio habere quæ puer animo agitabat, quam quæ adultus maturo judicio penſitavit. Inimici ſunt profectus omnis in Sacris Litteris, adeoque ipſius Veritatis. Talenta divinitus nobis data, & nuper mirum in modum aucta, minuere atque infodere omni ope conantur. Quod ab iis perfici nec Deus, nec homines ſinent; donec in aliquo terrarum angulo Sacræ Litteræ & Veritatis amor vigebunt.

Qui priſcos Scriptores non legerunt, aut oſcitanter evolverunt, rem ipſam minime adtendentes, ſibi fingunt, aut aliis deſcribunt Patrum Scripta, non qualia ſunt, ſed qualia ea oportuiſſe eſſe exiſtimant; ideoque ea de illis prædicant, quæ ab adtentis Patrum Lectoribus contraria rei ipſi deprehenduntur. Sic & in aliis judiciis, quæ de antiquioribus temporibus ferre homines ſolent, plerumque peccatur. Antiquiora enim omnia, quaſi propiora

piora origini, aut etiam ipsi Deo, meliora & augustiora esse censentur. Sæpe quo plura vetustas rebus detraxit, eo plura a posteris adduntur: ita ut, vel solo tempore, rerum notiones augeantur. Recte hanc in rem (*) *Philemon* Comicus:

Ὦ Πάμφιλ' ὁ χρόνος οὐ μόνον τὰ σώματα
Αὔξει βαδίζων, ἀλλὰ καὶ τὰ πράγματα·

*O Pamphile, tempus non tantum corpora auget procedens, sed etiam res.*

Hæc cum ita sint, satis jam manifestum est, antiquitatem solam & consensum plurimorum minime esse indicia Veri. Indidem etiam colligere licet, nostræ ætatis viros eruditos, cinctos omnibus illis præsidiis, quæ nunc nobis suppetunt, posse melius intelligere ex Vetere & Novo Testamento quid senserint Scriptores Sacri; quam homines Græci aut Latini, qui secundo sæculo florebant, quamquam Apostolis propiores. Incertis traditionibus Apostolicis, non patimur nunc fucum nobis fieri, & omnia adhibemus Criticæ & Grammaticæ subsidia; quorum ope, obscuram sententiam illustrari posse novimus. Ac sane si conferantur laudati Interpretes nostri sæculi, cum illis; antiquiores pueri videbuntur, cum viris maturi judicii collati. Si, exempli causa, *Justinum* & *Irenæum* cum *Grotio* & *Hammondo* contuleris, priorum te

(*) *Apud Stobæum de Rer. Natura Tit. XI.*

te miserebit; intelligesque de Martyre non minus vere potuisse dici, quam de Episcopo, in ejus scriptis τὴν κατὰ τὰ ἐκκλησιαστικὰ δόγματα ἀληθείας ἀκρίβειαν νόθοις λογισμοῖς κιβδηλεύεται, ἃ χρὴ παρασημαίνεσθαι: *Ecclesiasticorum dogmatum adcuratam veritatem spuriis ratiocinationibus adulterari, quod oportet animadvertere.* Quod judicium est *Photii*, de *Irenæo*, Cod. cxx.

Hinc jam liquet, ut usui sint Patrum Scripta, primum distinguendam esse Historiam dogmatum & rerum gestarum, quam ab illis solis petere possumus; a Veritate ipsa dogmatum, & regula morum, quas a Christo, ejusque Apostolis dumtaxat accipimus, quia nos fallere non possunt. Ut sciamus an probandum sit quod fecerunt, aut dixerunt Patres, id exigendum est ad Novi Testamenti normam; cum qua quidquid consentit rectum est, & a qua quidquid dissentit obliquum, quantælibet multitudini probetur. Christus solus dicendus *Magister & PATER*, a quo dissentire non licet, ut ipse docuit, Matth. XXIII, 8, & seqq. Patrum vero, ut vocantur, consensus, multitudo & antiquitas pondus nullum apud nos habeant oportet; nisi quatenus consentiunt cum summo illo & unico doctore, fidelibusque ejus discipulis, quorum doctrinam miraculis comprobavit. His, non quia sunt antiqui, sed propter doctrinæ præstantiam, eamque cœlestibus testimoniis, hoc est, prodigiis confirmatam, credimus.

Scio

Scio Pontificios docere non potuisse fieri, ut plerique eorum a Christo dissentirent; nec *ejus* doctrinam posse intelligi, nisi ex Patrum Scriptis illustretur. Sed cum hæc duo merito rejiciantur ab iis, qui ab eorum communione secesserunt, quod nullo cœlesti promisso, aut præcepto nitantur; non opus est ut a me confutentur, cum præsertim posterius sit a *Joanne Dallæo* funditus eversum.

Deinde in aliis, quæ ad dogmata Religionis aut ad mores non pertinent, omnia illorum dicta aut facta sunt ad rectam Rationem, Artesque ab ea prognatas, & minime fallaces exigenda; quarum solis suffragiis probari, nimirum, possunt, aut improbari.

Igitur Patrum Scripta majore aut minore reverentia prosequemur, seu pluris aut minoris faciemus; prout magis aut minus consentient cum explorata Christi & Apostolorum doctrina, cumque recta Ratione; quæ duæ solæ sunt faces, a Deo ad homines demissæ, ut in hujus mortalis vitæ tenebris nobis illuceant, utque ad earum lucem dogmata, dicta, præcepta, facta omnia expendamus. Nulla cujusquam hominis reverentia, præsertim in Religionis negotio, illis æquiparari jure potest, nedum ut anteferri queat.

Non puto eos qui Patrum auctoritatem, apud Anglos, tuentur eam velle ultra hosce limites proferre. Quare nulla mihi cum illis lis est; nec proinde cum viro erudito *Gulielm. Caveo*, qui numquam probabit

me, prudentem certe ac ſcientem, repudiare Patrum ſcita, ubi conſentiunt cum Scriptura, aut cum recta Ratione, ac proinde debitam eis venerationem a me non deferri.

Hæc erant, REVERENDISSIME PRÆSUL, quæ dicenda de Patribus habebam, & in quibus, ſi quem eſſe errorem intellexero, facile, Te monente, emendari poterit. Neque enim is ſum, qui alios quidem cupiam errantes in rectam viam a me monitos æquo animo redire, ipſe vero non ſuſtineam ab aliis in eam revocari. Vale.

*Dabam Amſtelodami, Nonis Juliis*

cIↃ IↃ C XCIX.

EPIS-

# EPISTOLA V.

*Illicitas esse omnes dissimulationes, in Historia Ecclesiastica. Insigne, hac de re,* Melchioris Cani *judicium, confirmatum multis rationibus & exemplis.*

*Reverendissimo Præsuli*

## GUILIELMO LOYDIO

*Episcopo Vigorniensi*

S. P. D.

## JOANNES CLERICUS.

Miraberis forte, REVERENDISSIME PRÆSUL, Te ab homine ignoto compellari; sed mirari desines, cum dixero mihi litem esse cum Viro Docto *Guil. Caveo*, qui in me gravissime invectus est, in Dissertatione de *Eusebii Cæsariensis Arianismo*; nec me vidisse quem possem doctiorem, æquioremque hujusce litis disceptatorem, quam Te, Illustrissimo Archiepiscopo Cantuariensi, & Reverendissimo Episcopo Salisburiensi Vete-

ri amico tuo, ad quorum judicium rem totam retuli, conjungere. Oſtendi in litteris ad priorem datis, cum non eſſet cur quereretur *Caveus* ſe a me laceſſitum fuiſſe, eum injuria in me calamum adripuiſſe; cum præſertim ejus rei, cujus ſe a me inſimulatum fruſtra querebatur; nempe, diſſimulationis in Hiſtoria Eccleſiaſtica; re vera reus eſſet, quod eo provocante perſpicue demonſtravi. Tum etiam calumnias propulſavi, quibus me, ne æquas aures quiſquam mihi præberet, ab initio Diſſertationis infamare conatus eſt. In litteris vero ad poſteriorem ſcriptis, probavi nihil a me de doctrina Patrum dictum eſſe, in Vitis Gallicis *Clementis Alexandrini*, *Euſebii Cæſarienſis*, *Gregorii Nazianzeni*, aliorumque; quod non ſit ex eorum Scriptis hauſtum, atque excerptum.

Supereſt nunc ut expendam quæ dicta a me, de priſcis nonnullis Eccleſiaſticis hominibus, ille ita interpretatur, ut in totius Sacri Ordinis contemtum ſcripta; quaſi nonnullorum vitia aut delicta univerſo illi hominum generi eſſent a me tributa. Credidit *Caveus* rem eſſe usque adeo invidioſam, ut ſatis eſſet ſumma capita recenſere; quibus lectis, totus reverendus Ordo continuo in me eſſet conſurrecturus, atque inauditum e veſtigio damnaturus. Qua in re, oſtendit quid ipſe de eo ſentiat, qui invidiam ob Veritatem candide prolatam movere, & reum apud Clerum facere perinde eſſe putavit. Ego vero multo meliora non tantum ſpero, de Ordine Eccleſiaſtico, verum etiam perſpecta habeo. Scio eſſe

esse in eo innumeros bonos, atque eruditos homines qui ingemiscant, cum ea legunt in Veteribus Historiis, quæ a nonnullis sui Ordinis viris contra jus & fas olim facta sunt, nec ea defendi patiuntur, imo ne dissimulari quidem; ne exemplum serpat, neve quæ defenduntur aut dissimulantur, quasi levia, licita tandem esse existimentur: quemadmodum nunc fit in Ecclesia Romana; quæ multo diligentius delicta, quam recte facta Veterum imitatur.

Cum autem nemini dubium sit, quin Tu, REVERENDISSIME PRÆSUL, sis eorum numero censendus, quibus non modo universa perspecta est Ecclesiastica Antiquitas, sed quibus maxime cordi sunt mores ad Evangelii normam exacti; nemo magis idoneus atque integrior judex hujusce litis sedere poterat. Quo in judicio, causa a me dicetur non tam mea, quam Veritatis ipsius; quam Vir Eruditus imprudentissime, in Historia Ecclesiastica, dissimulari vellet. Nec adversarium mihi eum propono, quasi ullam notam homini inuri cupiam, si evicero eum perperam a me dicta carpsisse; sed ut, occasione data, Veritatem Historicam in rebus Ecclesiasticis, contra omnes, quos ejus pudet, defendam, ostendamque nihil esse Christianis omnibus utilius, atque optabilius: contra vero dissimulatione nihil magis noxium, ac fugiendum. *Caveo* autem ipsi nihil opto, nisi majorem erga dudum mortuos candorem, animumque adversus vivos æquiorem.

Singula ergo quæ hac de re habet expen-

dam, postquam nonnulla prius animadvertenda exposuero. Ante omnia, a *Caveo*, aliisque qui offenduntur; quando minus laudabilia dicta aut facta Veterum nonnullorum proferri vident, & pro merito castigari, ut debet fieri in gravi Historia, quæsiverim an quæ protuli sint vera, vel falsa? Falsa si dicant, oportebit me proferre quæ in Vitis Gallicis scripsi, eaque singula probare. Quod si præstare non potuero, tum vero me quasi calumniatorem traduci apud omnes, & nigro carbone notari necesse erit; nec causam dico, cur non fiat. Nullam enim hic indulgentiam peto, sed ut summo jure mecum agatur postulo. Si vero non ausint negare quæ dixi esse vera, eaque ipse copiosius demonstravero, ne quis calumniæ supersit locus; quæram ab iis iterum an ideo ergo mihi indignantur, quod quæ fuerant occultanda, uti existimant, in apertam lucem protulerim. Si negent, quid in me reprehendunt? Si aiant, quomodo negare possunt se dissimulationis, in Historia Ecclesiastica, reos esse & patronos, & pro Historiis scribere Encomia vel Apologias, quod tamen dici nolunt? Nam profecto Encomia sunt, aut Apologiæ Scripta, in quibus quæcumque quidem vituperari possunt reticentur, aut anxie excusantur; copiose vero narrantur laude digna, atque ad cœlum extolluntur. Cui scribendi generi addictum esse *Caveum* non modo ostendi, sed ipse palam facit, hoc in loco; dum usque adeo ægre fert a me prolata esse varia, quæ in Veteribus probari non possunt. Quod tam in-

invisum facinus esse putavit, ut vel indicatis iis, non confutatis, quæ dixi, me Lectoribus odiosum reddere se posse existimarit.

Scio hasce artes, quas in Historia quidem profana, *malas* ac turpes diceremus, nonnulli vero in Ecclesiastica *pias* ac honestas esse volunt, sic solere ab iis defendi. Contendunt, nimirum, Historias Ecclesiasticas scribi, ut Lectores magis ac magis adducantur ad fidem habendam Religioni Christianæ, ejusque observanda præcepta; quam in rem cum multum, ut putant, conducat honesta opinio de iis qui rebus Ecclesiasticis per aliquot saltem sæcula, ab initio Christianismi, præfuerunt: contra vero non parum noceat priori contraria opinio minus honorifica de iisdem viris; existimant prudentis esse Historici & de re Christiana bene mereri cupientis, extollere atque exaggerare quæ laude digna sunt, in Vita & Scriptis antiquissimorum Christianorum: at aperte vituperanda, si alibi occurrerent, hic plane dissimulanda esse, aut si prudenti silentio omnino occultari non possint, excusanda atque emollienda. Ita illi dissimulationes suas, specie Religionis, incrustare solent; quamobrem factum est ut perpaucæ exstent Historiæ Ecclesiasticæ ad id exemplum non conscriptæ; quamvis viri eruditi, etiam ex Pontificia Schola, subinde quam hæc scribendi ratio sibi improbaretur gravibus querelis ostenderint. Audiamus vel unum *Melchiorem Canum*, cujus oratio eo minus erit suspecta, quod Tridentinæ interfuerit Synodo, *piis* illis, si Deo placet, ar-

tibus, si quæ umquam alia, gnaviter usæ: (*) *Dolenter hoc dico*, inquit, *potius quam contumeliose, multo a* Laërtio *severius vitas Philosophorum scriptas, quam a Christianis vitas Sanctorum; longeque incorruptius & integrius* Suëtonium *res Cæsarum exposuisse, quam exposuerunt Catholici, non res dicam Imperatorum, sed martyrum, virginum & confessorum. Illi enim in probis aut Philosophis, aut Principibus nec vitia, nec vitiorum suspiciones tacent; in improbis vero etiam colores virtutum produnt. Nostri autem plerique vel adfectibus inserviunt, vel de industria quoque ita multa confingunt; ut eorum me, nimirum, non solum pudeat, sed etiam tædeat. Hos enim intelligo Ecclesiæ Christi cum nihil utilitatis adtulisse, tum incommodationis plurimum. Nominibus parco, quoniam hujus loci judicium morum etiam est & non eruditionis tantum, in qua liberior potest esse censura. Nam quæ morum est, hæc debet profecto esse in vivos cautior, & in mortuos reverentior. Certum est autem, qui ficte & fallaciter Historiam Ecclesiasticam scribunt, eos viros bonos atque sinceros esse non posse, totamque eorum narrationem inventam esse, aut ad quæstum, aut ad errorem; quorum alterum fœdum est, alterum perniciosum.*

Hæc Veritas expressit *Melchiori Cano*, qui tamen forte, si ei scribenda fuisset Historia Ecclesiastica, non multo magis Veritati nudæ litasset. Res est tanti momenti, & in quam

(*) *Loc. Com. Lib. XI. p. 650.*

quam tam contumaciter, a multis sæculis, peccatur; ut supervacuum non sit futurum, si paucis confutem eos qui ita sentiunt, & quam turpis & periculosa sit hæc ratio scribendæ Historiæ ostendam.

Primum igitur, quisquis in Historia Veritatem dissimulat, ut ea ratione Religionem Christianam credibiliorem faciat, ostendit se nescire quibus fundamentis nitatur, adeoque causæ plane diffidere. Quisquis enim novit inconcussis fundamentis inædificatam esse Religionem, infirmis tibicinibus numquam eam fulcire nititur. Spernit omnia debilia argumenta, quisquis rationibus est instructus, quibus nihil sani opponi posse censet. Securus ac magnanima Veritatis fiducia plenus, tantum abest ut quidquam occultare velit, ut contra omnia in clarissima luce poni exoptet; quia quo adcuratius & plenius omnes Veritatis circumstantiæ aperiuntur, eo manifestior fit, eoque altius in animos descendit. E contrario qui non satis novit an quod tueri adgressus est verum sit, is timet ne curiosius introspiciatur, nec nisi timide id aperit. Dissimulat quæ minus apta putat ad persuadendum, aut quæ forte in sequiorem partem sumi possent; ne id falsum deprehendatur, quod verum esse potius cupit, quam novit. Circumspicit omnia & si qua forte ex ignorantia audientium nascitur occasio utendi infirmis argumentis, quasi firmis: eam avidissime adripit, & tum maxime fiduciam ostentat, cum ea dicit quæ nonnisi apud imperitos valent. Utramque illam rationem scribendæ Historiæ

Ecclesiasticæ animadvertere licuit, variis temporibus, adhibitam ab hominibus diversissimæ indolis. Apostoli Veritatis securi, historiam Christi & suam ipsorum ita scripsere, ut nihil dissimularint, sed omnia simplicissime dixerint, quemadmodum contigerant; quamvis interdum sibi ipsis parum honorifica, quales fuerunt eorum omnium ruditas ante acceptum Spiritum Sanctum, abnegatio Petri, ejus dissimulatio in observatione rituum Judaïcorum, dissidium Pauli & Barnabæ, aliaque id genus. At eadem historia, aliquot post annis, hominibus Religionis Christianæ parum peritis non satis caute conscripta videbatur; ideoque non modo scripta Nova Evangelia, & Historiæ Apostolorum, quibus addita sunt multa, sed etiam e Veteribus resecta, ne quid dici videretur quod minus dignum esset auctore Religionis Christianæ. Exempli causa, fuere exemplaria Evangelii Lucæ mutilata ab hominibus imperitis, ne Jesus flevisse videretur, Cap. XXII, 43. ut ostendi *Artis Criticæ* Parte III. S. 1. c. 14. Credibile est ab hominibus ejusdem indolis, in narrationibus antiquorum Martyriorum, prætermissas esse circumstantias, ex quibus intelligere liceret horrorem naturalem cruciatuum & mortis non magis in iis exstinctum fuisse, quam in Christo; cum quo nemo, ut opinor, Martyrum conferri se velit, constantia magis & fortitudine, quam ceteris virtutibus. At Apostoli, boni plane & simplices viri, callida ejusmodi dissimulatione uti nesciverunt, in sanctissimis Historiis scribendis; eaque eorum

rum nullo fuco, nullo prudente, ut dicitur, silentio corrupta narratio ostendit eos ex Veri fiducia ita scripsisse: sicut nimis circumspecta Historia prodit animum non satis rebus suis fidentem.

Secundo loco, qui Veritatem Historiæ sine dissimulatione exponi non posse censent; illi Deum gravissime offendunt, Veritatemque infamant, dum illam æquiparant mendacio; quam sic tuentur, ut mendacium solet defendi. Quis enim dubitet, quin Deo ingrati sint, qui Veritatem professi narrant non quid sapientissima ejus Providentia passa sit fieri, in rebus ad Religionem pertinentibus, quasi non satis ejus veritati ac securitati consuluerit; sed ex iis quæ contigerunt excerpunt id quod narrandum videtur, ut melius de ea homines sentiant, quam videntur sensuri, si omnia aperirentur? Quis non videt hoc esse divinæ sapientiæ prudentiam, aut potius calliditatem humanam præferre? Veritatem etiam ægre distinguas a Mendacio, quam videas defendi iisdem artibus, atque eodem adfectu, quo Mendacium solet; ac sane qui Veritatem callidis dissimulationibus tuentur, eam minime amant, sed eas tantum partes in quibus nati sunt; quibus haud minus acriter patrocinarentur, si falsam Religionem sequerentur, si modo eadem proposita essent præmia. Eodem adfectu non amatur Veritas, quo defenditur Mendacium. Delusa credulitas, æque parata Mendacium amplecti ac Veritatem, non est ea Fides, quæ apud Deum locum justitiæ obtinet. Venerando hoc nomine,

mine, ſignificatur ea animi adfectio, qua Deo Veritatis amantiſſimo credimus adfirmanti, quod non videmus, non hominibus fallacibus.

Tertio, periculoſiſſima eſt ejuſmodi defenſio, quæ diſſimulatione nititur. Cum enim diſſimulamus indecore facta aut dicta virorum, qui ſacris præfuerunt, ne eorum commemoratio noceat Veritati Religionis Chriſtianæ; tacite fatemur eam in periculo verſari, ſi ea vitia patefiant. Quare enim alioqui diſſimularemus? Hoc autem perinde eſt, ac ſi fateremur Veritatis cœleſtium dogmatum agnitionem, apud homines, pendere ex dictis aut factis eorum, qui ea dogmata ſequi ſe profitentur; ſeu ea credibilia videri, ſi facta ac dicta hominum cum iis conſentiant; ſin minus, fidem eorum laborare. Quod profecto nullus ullius ſectæ Philoſophicæ princeps vellet de dogmatibus ſuis ſtatui; ut tum demum Rationi conſentanea viderentur, cum ſermones & vita ejus diſcipulorum cum iis conſentirent. Facile enim non modo fieri poteſt, ſed etiam quotidie fit, ut hominum mores cum iis ſententiis, quas profitentur, graviter pugnent; quod in permultis Philoſophis olim conſpectum eſt, nec forte in paucioribus Theologis Chriſtianis; nam hoc certe cum nuſquam diſſimulandum ſit, hic taceri non poteſt. Igitur neque aperte, neque obſcurius ſtatuendum eſt, ex hominum opinionibus aut moribus pendere ſortem Religionis Chriſtianæ, ſi eam veram credimus & ſemper incolumem eſſe optamus.

Quar-

Quarto, licet sperare possumus dissimulationes nostras aliquamdiu ignotas fore, aut a paucis animadversum iri, intereaque iis nonnullos in fide Christiana confirmandos; attamen si præter spem fraudem contingat innotescere, quod facile fieri potest, plus multo nocet retecta dissimulandi cupiditas, quam officere potuisset quidquid dignum silentio judicatum est. Qui enim dissimulationem retegunt, hinc colligunt Scriptores, qui ea usi sunt, diffidisse causæ, & voluisse sibi fucum facere; quo fit ut sint in posterum eis plane suspecti, & nisi aliis de rationibus Religionem veram esse intelligant, illam etiam suspectam habeant, cujus viri docti historiam scribere, sine turpi dissimulatione, non potuerint. Cum videant, omissis parum recte aut nequiter etiam factis, homines pro bonis viris venditari; qui, si omnia eorum facta sine fuco narrarentur, mali fuisse judicarentur; arcanum quoddam mysterium se intellexisse putant, ex quo colligunt, perperam quidem, sed tamen colligunt Veritatem ab Historicis illis dissimulatoribus Veri non magis spectari, in ipsa Religione, quam in Historia. Quod si tam cito dissimulatio non innotescat, at tandem tamen patefit, & quo diutius ignota fuit, eo magis homines adficit retecta. Oportet hoc exspectemus aliquando futurum, quod tam sæpe factum est; nempe, omnia tandem arcana patefactum iri:

(*) Ὁ χρόνος ἅπαντα τοῖσιν ὕστερον φράσει·
Λάλος ἐστιν οὗτος, οὐκ ἐρωτῶσιν λέγει·

Tem-

(*) *Comicus apud Stobæum Ecclef. Phys. T. XI.*

*Tempus omnia posteris dicet. Id loquax est, etiam non sciscitantibus dicit* quod novit.

Quinto, dum vitia, aut delicta occultantur, vel excusantur in Historiis Ecclesiasticis, summisque laudibus extolluntur qui iis laborarunt; quicumque hæc legunt, ea aut levia esse putant, aut etiam licita. Quod enim a viris laudatis factum vident, sine ulla famæ jactura, aut certe sine ulla, apud posteros, nota; quidni idem sibi licitum, aut parum noxium esse putent? Ejusmodi fuerunt, exempli causa, convicia turpissima in dissentientes & iræ gravissimæ, propter errores exigui momenti, aut etiam verissima dogmata; qui adfectus cum excusantur in Veteribus, aut etiam laudantur, hodierni homines aut licitos, aut laude dignos esse existimant. Legantur quæ scripsit *Hieronymus* in *Rufinum*, *Vigilantium* & *Jovinianum*, ubi sæpe in Veritatem ipsam acerrime invehitur, sæpe in leves errores adeo debacchatur; ut si ejusmodi indoles cum sanctitate morum in concordiam redigi possit, non videam cur mansuetudinem & caritatem, erga dissentientes, virtutes Christianas esse dicamus. Ac sane nunc Ecclesia Romana in eos, quos vocat Hæreticos, eodem modo se gerit, soletque exemplo *Hieronymi*, & aliorum Patrum non meliore se tueri. Quid dissimulatores nostri possint in ea carpere non video, nisi prius aperte damnent *Hieronymum*, bonique viri officio functum esse sine circuitu negent. Plura

ra similia possem adferre, sed ex hoc exemplo de aliis idgenus judicare licebit.

Sexto, cum dubium esse nequeat, non paucos Veterum in graves errores esse lapsos; qui possunt illi errores excusari atque emolliri, quasi stare potuerint cum vera Religione, & singulari eruditione; nec tamen, eadem opera, erroribus illis via muniri? Qui præter modum laudarunt *Clementem Alexandrinum*, qui, ut ostendi, credidit non modo nullum adfectum, sed ne dolorem quidem ullum Christum sensisse, verum tantum visum esse sentire; quomodo *Phantasiastis* aut *Docetis*, qui similia antea & postea dixerunt, possint ignorantiam Scripturarum & errorem minime tolerandum exprobrare non intelligo. Si numerosissimæ & nobilissimæ Ecclesiæ Alexandrinæ Catechistes, cum hoc doceret, summa existimatione floruit, nec propterea castigatus est; quare, inquient *Docetæ*, nobis similia adfirmantibus usque adeo indignamini? Quid hisce querelis *Caveus* respondere merito possit non comminiscor; nolim enim suspicari eum imitaturum Scriptorem Indicis Expurgatorii Belgici, qui, deposito pudore omni, de *Bertrami* libro ita scripsit: *cum in Catholicis Veteribus alios plurimos feramus* ERRORES, *extenuemus, excusemus excogitato* COMMENTO, *persæpe negemus, & commodum iis sensum* ADFINGAMUS, *dum opponuntur in disputationibus, aut conflictionibus cum adversariis; non videmus cur non eamdem* ÆQUITATEM *& diligentem*

re-

*recognitionem mereatur Bertramus.* Hæ ſunt artes eorum, qui Veritatem apertam oppugnare impudenter non dubitant.

Septimo, dum ita ſcribitur Hiſtoria Eccleſiaſtica, ut diſſimulentur quæ ſunt Viris Eccleſiaſticis parum honorifica, & contra eorum decora mirum in modum adaugeantur; hinc deduci poteſt hocce conſectarium, licuiſſe ſemper, ac licere omnibus Hiſtoricis disſimulatione ſimul uti, prout publice intereſſe exiſtimabunt: aut id ſolis, ſingulari quopiam jure, fas eſſe Eccleſiaſticis. Si poſterius dicatur, poſcent omnes ſibi recitari Legem divinam aut humanam, qua illi communibus aliis Legibus de ſcribenda Hiſtoria ſolvantur; quæ cum proferri nulla posſit, qui damnationem effugient disſimulatores errorum & vitiorum, in Eccleſiaſtica Hiſtoria? Si prius, quærent cur ergo tantopere vituperentur Hiſtorici Ethnici, aut Chriſtiani recentiores, qui in rerum domi & foris geſtarum Hiſtoriis ea quæ norant disſimularunt: ut contra ſummis laudibus efferuntur quicumque nec in amicis vitia, nec in inimicis virtutes præterierunt? Quod multis oſtendit *Ger. Joan. Voſſius*, Artis Hiſtoricæ Cap. X. Quod ſi omisſis ceteris Hiſtoricis, animum convertamus ad eos, qui XVI. ſæculo & hoc noſtro XVII. ſcripſerunt Hiſtoriam rerum ad ingentem illam ſucceſſionem ab Eccleſia Romana pertinentium; quis poteſt non dicam mendacia & calumnias, ſed disſimulationes Scriptorum Pontificiorum ferre; qui, præteritis erroribus & vitiis eorum

qui

qui Ecclesiis Christianis per totum Occidentem præerant, describunt nobis eos qui sæculum suum ad saniorem mentem revocare conabantur, quasi seditiosos homines, quibus nulla sat justa causa fuit rerum novandarum? Quis non indignetur iis qui, prætermissis malis artibus Romanorum Episcoporum, in Synodo Tridentina, ita omnia narrant, quasi liberis suffragiis & summo consensu in ea essent constituta? Quis contra gratias non habet & *Paulo Servitæ*, & ceteris omnibus Historicis, qui nihil eorum quæ potuerunt rescire dissimularunt? An licebit, imo oportebit præterire quæ perperam facta aut dicta sunt ab iis, quorum doctrinam probamus; contra vero omnia, quæ faciunt ad infamiam eorum, qui erant, erunt propalanda? An ob Veritatem doctrinæ, vitiis omnibus & delictis erit ignoscendum, quæ errori non sunt condonanda? Peccent licet recte sentientes, nihil erit quod sibi timeant ab Historicis, quibus non licebit castigare, nisi errantes? Quid sani iis quæstionibus respondeři possit profecto non video. Dissimulatio hic licita, alibi illicita, dici non potest; nisi fas sit duplicia pondera, duplicesque mensuras, pro iis qui emunt aut vendunt, adhibere.

Octavo, illis dissimulationibus errorum & vitiorum, factum est ut boni viri, sed qui ea ratione scribendæ Historiæ decepti fuerant, temere professi sint se cum veteribus nonnullis Synodis ac Scriptoribus sentire; a quorum tamen sententiis procul absint necesse est, si

vera ſint quæ a peritioribus Antiquitatum Eccleſiaſticarum, aut in lectione Veterum adtentioribus poſtea deprehenſa dicuntur. Ut inſigni exemplo rem illuſtrem, non amplius muſſitant viri eruditi, cum in Anglia veſtra, tum alibi, Nicænos Patres credidiſſe in Deo eſſe tres Eſſentias æternas, & per omnia pares, non unum numero Deum. Conſtans etiam fama obtinet multos inſignes viros, in ipſo Eccleſiæ Anglicanæ Clero, ita ſentire; quod & libris teſtati ſunt nonnulli, nec nupera Lege a ſumma Poteſtate damnatum eſſet, niſi fuiſſent qui defendere auſi eſſent. Quis autem neſcit non unam Eccleſiam, ex iis quæ a Sacris Romanis ſeceſſionem fecerunt, quæ omnes profitentur ſe unitatem numericam Eſſentiæ divinæ credere, in Confeſſione fidei Symbolum Nicænum admiſiſſe? Si ergo ſtare velint eo capite Confeſſionis ſuæ, oportet ut tres Naturas æternas & pares a ſe credi profiteantur, & numericam Dei unitatem repudient; aut ſi nolint hoc dogma Confeſſione ſua ejicere, neceſſe habent id delere caput, quo fidem Nicænam probari ſibi teſtantur. Nihil eſt inter hæc extrema medium, niſi excogitetur *commentum* quodpiam, *quo adfingatur commodus ſenſus* Synodo Nicænæ; quod eſſet diſſimulationem minime excuſandam, mala fide, tectum ire; nec poſſet fieri, in hac ſæculi noſtri luce, ſine maxima infamia. Qui laudant immodice *Auguſtinum*, & mutationem ejus ſententiæ in deterius, circa vexationem Hæreticorum, diſſimulanter prætereunt, aut etiam excuſant;

ii,

ii, nisi secum pugnare velint, coguntur aut dissimulare, aut excusare dogma Pontificiorum, quo vexationes Religionis causa tuentur; nam *Augustinus*, in Epistolis ad (*) *Vincentium* & *Bonifacium*, multis probare nititur vi uti licere, ad revocandos Hæreticos ad unitatem Ecclesiæ. Nemo queat aliter eas Epistolas interpretari, qui nolit Ecclesiæ Romanæ ludibrium debere, & in sensum communem gravissime peccare. Nemo etiam possit objicere Pontificiis, se non esse Hæreticum; nam illi contra sentiunt & ad suam Ecclesiam solam judicium de Hæresi pertinere censent. Itaque aut est aperte vituperandus Hipponensis Episcopus, ut fecit *Joan. Claudius*, vir eruditus; aut herba porrigenda Pontificiis. Qui autem, hanc ob sententiam, *Augustinum* castigarint, eos meminisse oportebit multas esse Leges, in utroque Codice, plurium Imperatorum, contra Hæreticos, parum humanas; quæ non minore castigatione dignæ sunt, cum sint fœdissimæ maculæ, in vita Principum, a quibus sunt latæ. Hæ tamen laudari solent, etiam ab iis qui Ecclesiæ Romanæ vexationes improbant; perinde ac si Potestatibus Pontificiis non liceret id facere, in ditione sua, quod licuit olim Constantini Magni filiis, eorumque aliquot successoribus. Atqui aut omnes Potestates vituperandæ sunt, quæ vexant homines, theoreticarum opinionum causa; aut omnes absolvendæ.

Exi-

(*) *Ep. XCIII. & CLXXXV. Ed. Paris.* 1689.

Existimarunt quidem prudentes viri ea incidere tempora, easque esse rerum alias circumstantias, quibus satius est tacere vera quam proloqui; cum, nimirum, tacendo nihil officimus utili veritati, neque pravis moribus viam aperimus; at quando alterutrum contingat necesse est, si dissimulemus, tum vero, etiam cum periculo nostro, loquendum est, nisi velimus haberi Veritatis ac Virtutis proditores. *Causas verum tacendi*, ait recte (*) *Augustinus, longum est omnes quærere — quarum tamen est & hæc una, ne pejores faciamus eos qui non intelligunt, dum volumus eos qui intelligunt facere doctiores, qui nobis aliquid tale tacentibus, doctiores quidem non fiunt, sed nec pejores fiunt. Cum autem res vera ita se habet, ut FIAT PEJOR, nobis eam dicentibus, ille qui capere non potest; nobis autem tacentibus ille qui potest, quid putamus esse faciendum? Nonne potius est dicendum verum, ut qui potest capere capiat; quam tacendum, ut non solum id ambo non capiant, verum etiam qui est intelligentior, ipse SIT PEJOR?* At hic silentio pejor fit & qui non intelligit Veteres errasse aut deliquisse, quod eorum dogmata non satis norit; & qui ea dogmata intelligit, sed vera aut certe innocua esse putat, quia a doctis dissimulantur.

Nono, falsum est ullum vel minimum periculum creari fidei Christianæ, vera & candida descriptione vitiorum, aut malorum facinorum eorum qui sacris præfuere. Quicum-

(*) *De Bono persever. C. XVI. n. 40.*

cumque enim Religionem Christianam sunt edocti sciunt eam totam, nec postea ulla in re vel minimum mutandam, olim a Jesu Christo & Apostolis traditam; ac proinde de illa, ex solis Novi Testamenti tabulis, judicandum; non ex moribus, interpretationibusque sequentium sæculorum. Mali fuerint mores multorum, qui postea Ecclesiis Christianis præfuere; pravæ fuerint interpretationes Novi Testamenti ab iis in Theologiam Christianam imprudenter intrusæ; quid facit hoc ad doctrinam Christi & Apostolorum, quæ in Novo Testamento intemerata ad nos pervenit? Vitia, delicta, errores eorum, qui Reipublicæ Legibus parere se velle profitentur, non possunt tribui Legibus ipsis; si Leges sint revera iis vitiis, delictis, erroribus contrariæ. Itaque Christiani est Historici ex Legibus Evangelii judicium ferre de iis, qui ratas esse voluerunt, quamvis vita eas minime expresserint; non vero ex iis quæ facta, aut dicta sunt a Sacrorum Præfectis, de præstantia illarum Legum judicare. Ita se gesserunt ceteri omnes Historici, qui numquam putarunt ad contumeliam Legum pertinere, si pravis Magistratibus earum contemtus exprobraretur. Quis non rideret Historicum, qui diceret se ob reverentiam Legum, ne eas parvi facere videretur, omisisse quæ contra eas admissa sunt a Magistratibus, aut ea studiosissime excusasse? Imo vero ejusmodi dissimulationes, aut interpretationes violentæ crederentur oriri ex mero Legum contemtu, quarum observationem magni non fecisset

Hiſtoricus. Crederetur ſcripſiſſe non ad defendendam majeſtatem Legum, non ad Reipublicæ uſum; ſed in gratiam factioſorum Magiſtratuum, qui poſthac vellent Leges impune perfringere. Simile neceſſe eſt feratur judicium, de iis Hiſtoricis Eccleſiaſticis, qui vitia & errores disſimulant aut excuſant eorum, qui Eccleſiaſticas Dignitates obtinuere. In gratiam eorum, qui vitiis & erroribus præpediti fuerunt, aut poſthac erunt, non Reipublicæ Chriſtianæ, aut Evangelii, Hiſtorias ſuas ediderunt.

Poſtremo, libera & candida Veritatis expoſitio, in hiſce rebus, ſummæ eſt utilitatis, duplici de cauſa. Primo, hinc colligunt Lectores quanta ſit Legum Evangelicarum præſtantia, quarum obſervans Hiſtoricus a dicenda Veritate deterreri non poteſt. Deinde hac ratione quam optime diſtinguuntur divinæ Leges a pravis opinionibus atque conſuetudinibus; quæ ſi contra miſceantur, timendum eſt ne iniquitate ingenii humani, propter mala miſta bonis, utraque nullo diſcrimine rejiciantur. Dum vident homines dubiæ fidei, propter bona, defendi aut extenuari mala; quaſi vitia Antiſtitum neceſſe ſit condonari ſanctitati Religionis Chriſtianæ, quam conculcant; ſuſpicantur non cauſam agi Chriſti, ſed vitiorum, nec ſemper falluntur.

At hiſce objiciunt nonnulli, aperta illa & rigida profesſione Veri, ludibrio exponi Sacrum Ordinem, ejus auctoritatem collabi, reverentiamque ei debitam exſtingui. Verum ri-

rideri non potest Ordo reverendus, propter vitia aut delicta nonnullorum; magis quam regia dignitas, quia libere notantur vitia & prava facinora priscorum Regum. Distinguendæ sunt auctoritas & dignitas reverendi Ordinis, quæ intemeratæ semper esse debent, quæcumque sint singulorum peccata aut hallucinationes; ab existimatione, famaque uniuscujusque, quæ bona esse non possunt, nisi bonorum, & eruditorum, apud populos qui sciunt quid virtus, quidve eruditio sit. Ut vero quod de nonnullis minus bonis dicitur dignitatem Ordinis non minuit: sic nec reverentia, quæ Ordini debetur, velum esse potest, quo singulorum peccata tegantur. Alioqui res omnium sanctissima siparium haberetur, quo homines tecti jura divina atque humana impune violare potuissent; quod demum esset longe contumeliosissimum non jam hominibus, sed ipsi Sacro Ordini. Eo tandem deveniunt dissimulatores, ut & homines & Ordinem ipsum infament, dum eos defendere conantur.

Verum spretis, inquiunt, antiquis illis Sacrorum Antistitibus, spernuntur & hodierni; iisque contemtis; ipsa contemnitur Religio. At sperni non possunt, qui nunc sunt revera laude & reverentia digni, si Veritas de Veteribus exponatur; a qua nihil fuit umquam Virtuti, nihil umquam Eruditioni timendum. Quod si forte essent digni, qui spernerentur, an vellent eos magni fieri, & conculcari propterea Veritatem? Falsum præterea est contemtum nonnullorum ad omnes omnino pertinere. Falsum est quoque sequi contem-

nendam esse Religionem, eo quod nonnulli Præsides Sacrorum ejus satis periti, aut satis observantes fuisse negantur; quamquam non diffiteor malos mores & errores nonnullorum Ecclesiasticorum hominum, malis occasionem præbere de Religione male sentiendi. At huic incommodo obviam eundum est, non pudendis ac periculosis dissimulationibus, quibus etiam modesta & Veri amantia ingenia quam maxime offenduntur; sed ostendendo ut vitia civium Legibus tribui plerumque nequeunt: sic nec delicta Christianorum, cujuscumque sint Ordinis, Religioni officere posse, apud æquos Judices, ut jam antea dixi. Quod facile est, honorificum Religioni, gratum omnibus bonis, & utile Reipublicæ Christianæ. Sin vero malimus dissimulare aut excusare castigatione digna in singulis, rem difficillimam adgrediemur, turpem Religioni, gratam malis quibusque, qui eam infamari, corrumpi ac periclitari eo modo gaudebunt, & summopere noxiam universo Christianismo.

Hæc paullo pluribus diducenda mihi putavi, non quasi Tibi, REVERENDISSIME PRÆSUL, aut aliis bonis atque eruditis viris minus perspecta; sed quia mihi res est cum homine, qui ita loquitur, ut qui contraria omnia sentiret. Dicet hæc esse notissima, nec a se negata; sed interea in me invectus est, quasi omnia quæ dixi essent falsa, ut singulorum examine liquebit; quod in aliis litteris adgrediar, ne hæ sint æquo prolixiores. Vale.

*Dabam Amstelodami III. Nonas Julias*
cIↃ IↃ c XCIX.

EPIS-

# EPISTOLA VI.

*A* Clerico *non esse traductum Ecclesiasticum Ordinem, eo quod & privatorum & Synodorum etiam delicta nonnulla notarit. Constantinum Magnum & Constantium ejus filium fuisse sæpe instrumenta alieni affectus. Quam necessario mali mores Ecclesiasticorum hominum sint in Historia Ecclesiastica memorandi, & præsertim in recensione Scriptorum Auctoris antiqui, qui in eos invectus est. Exemplum* Isidori *Pelusiotæ, quod* Clericus *sequi potuit & debuit.*

## EIDEM S. P. D.

## JOANNES CLERICUS.

Superioribus meis ad Te litteris, ILLUSTRISSIME PRÆSUL, ostendere conatus sum illicitas prorsus esse dissimulationes omnes in Historia Ecclesiastica, non minus quam in aliis; contra quam volunt, aut certe faciunt, Religionis vel Antiquitatis obtentu, homines nonnulli, qui rem non satis expendisse videntur. Nunc ad singulas objectiones Viri Eruditi veniam, qui mihi grandem litem scripsit, quod in Vitis Gallicis Veterum nonnullorum Scriptorum Ecclesiasticorum ausus fuerim scapham scapham vocare.

*In Episcopos*, inquit, *omnemque Ordinem Clericalem acrius animadvertit, quos veluti præjudiciis in conventibus suis Synodalibus mire occæcatos traducit; hacque præ Laïcis prærogativa gaudentes, quod simul & partes possint esse & judices; quod maximis etiam Principibus imponere iisque tanquam instrumentis abuti soleant.* Laudat, hanc in rem, præsertim paginas Versionis Anglicæ; qua cum caream, difficilius loca ad quæ respicere forte voluit animadverti. Attamen cum relegerim vitas Gallicas, & norim quid scripserim, mentem meam & Scripta tuebor, quam commodissime potero. Ante omnia, pernego me in ORDINEM ipsum Ecclesiasticum quidquam dixisse; hoc est, in formam ipsam Regiminis Episcopalis, quam numquam vituperavi, & pluris etiam fecerim quam Presbyterianam, si modo intra limites Evangelicos contineatur. At nonnulla dixi in homines, qui mihi videbantur abuti dignitate atque auctoritate sua; quod nisi dicere liceat, ex Historia Ecclesiastica eliminandus est omnis candor, Veritatisque amor, quotiescumque delicta hominum Ecclesiasticorum nobis occurrent.

*Bibliothecæ Universalis* p. 441. T. x. in quo vita *Eusebii* habetur, observavi Patres Concilii Nicæni non usque adeo Arianis confutandis, Canonibusque condendis occupatos fuisse, ut privatarum litium immemores essent, quod probo ex *Sozomeno* Lib. I. c. 17. ubi insignis habetur Historia, quæ dissimulanter ab Historico præteriri non poterat, sine gra-

gravi in Leges Historicas delicto. Ideoque nuperus Scriptor Benedictinus Vitæ *Athanasii*, ad ann. CCCXXV. *num.* 5. post narratam convocationem Synodi, *nec defuere*, inquit, *qui oblatis Constantino libellis, quosdam Episcoporum reos agerent. Arianine an Catholici fuerint, nullius antiqui Scriptoris testimonio compertum est; sed arbitrantur, post* Baronium, *Recentiores pene omnes id rei nonnisi Arianis Episcopis adscribi posse; qui infesto semper in reliquos animo, nullum non querimoniæ argumentum aucuparentur. Verum si sese ita res habuit, quid causæ esse possit quod* Rufinus, Theodoretus *&* Sozomenus *Arianorum nomen taceant? An eorum existimationi consultum voluere, qui nihil non asperum in Ecclesiasticæ doctrinæ corruptores, passim per Scripta sua, conspergunt? Unde in incerto res versatur*, &c. Sic eruditus Monachus, & candidior Canonico Windesoriensi, rem profert; quam hic in Vitis Anglicis *Eusebii* & *Athanasii* prudenter, ut putat, prætermisit. Hæc aliaque id genus aut verbotenus e Veteribus desumta, aut ex rebus ipsis collecta mihi exprobrat *Caveus*, quasi acriores animadversiones in Ecclesiasticos. At quæsiverim ab illo verane, an falsa ea censeat? Si vera putat, non est cur queratur, nisi Veritatis in Historia Ecclesiastica inimicum se esse profiteatur. Si falsa, ea confutet, ostendatque ex quibus arcanis libris resciverit illius ævi Sacerdotes meliores fuisse, quam describuntur a priscis Historicis, aut quam res ipsa docere videtur.

Pari jure, mihi exprobrat quod de nonnullis

lis Synodis ea ſcripſerim, quæ me de iis male ſentire oſtendant. Quod adeo non nego, ut apud ipſum *Caveum* propterea gloriari poſſim. Duo loca in margine indicat, alterum ex Vita *Euſebii*, alterum ex Vita *Gregorii*. Prior eſt pag. 468. T. x. *B. U.* ubi narratis rebus geſtis in Synodo Tyria anno CCCXXXV. contra *Athanaſium* coacta, & in qua iniquiſſime damnatus eſt, hoc æquiſſimo judicio narrationem claudo: *Sic Epiſcopus Alexandrinus ab inimicis, qui judices ejus fuerunt, damnatus eſt: quemadmodum Arius Anathemate percuſſus fuerat ab Athanaſii deceſſore Alexandro, aliisque Epiſcopis, qui antequam Concilium convocaretur, ei palam adverſati fuerant. Idem factitatum, in omnibus ferme Epiſcoporum cœtibus, qui ab illo ævo ſunt coacti: nam ſingulari jure, præ Laïcis, gaudent Eccleſiaſtici, quo ſimul adverſarii & legitimi judices eſſe poſſunt.* An negabit *Caveus*, in Synodo Tyria, Arianos qui adverſarii erant Athanaſii, ob decreta Nicæna, judices & quidem iniquiſſimos in ejus cauſa ſediſſe? Non poteſt, niſi oſtendat quæcumque de illa Synodo narrantur, falſa eſſe; quod non putat, ut liquet ex Sect. V. Vitæ Anglicæ *Athanaſii*, ubi hanc Hiſtoriam narrat. Arium ab Alexandro, cum quo diſceptare cœperat, & cujus iram proinde ſibi contraxerat, damnatum nemo negaverit qui legerit Hiſtoriam illius ævi, aut inſpexerit loca Veterum a nobis, in *Euſebii* vita, prolata, aut indicata. Hic de opinionibus utriuſque non ago, quæ, ſi multis jam credimus, æque fer-

ferme diffidebant a Vero; cum Alexander tres Naturas aut Mentes divinas pares, Arius tres impares esse contenderet. Ago de sola forma judicii, & quæro annon Alexander judex de Ario sederit, cum ejus adversarius fuisset? Sedit sine dubio, imo jure sedisse censetur, & sic semper fecerunt deinceps in Synodis Episcopi. Quamvis acerrime contendissent cum iis, qui erroris arguebantur, quamvis eos ad Synodos detulissent; annon semper moris fuit ut judices sederent, æque ac si quid sibi placeret ne nutu quidem antea significassent? Quis nunc ergo negarit, in jure Ecclesiastico, judices & adversarios eosdem esse posse? Non quæram qua ratione ei gravissimo incommodo occurri queat; sed rem non posse negari contendo. Quod si vera est, cur *Caveus* propterea invidiam mihi facere conatur? An tam male sentit de Anglis Præsulibus, aliisque popularibus suis, ut Veritate manifesta eos posse offendi speret? Viderit ille, nam ad me quod adtinet, satis habeo id quod dixi falsitatis argui non posse.

Alter locus est, in Vita *Gregorii Nazianzeni*, *Tom. XVIII. B. U. p.* 108. *& seq.* in quo descripsi, post ipsum (*) *Caveum* & alios, quam inique expulsus sit a Synodo Constantinopolitana; deinde addidi judicium *Gregorii Nazianzeni*, cum de ea Synodo, tum etiam de aliis. Ad rem ipsam quod adtinet, plura non dixi quam *Caveus*, quamvis ex *Gregorio Nazianzeno* quædam paullo distinctius

(*) *Sect. VI. Vita Gregorii.*

tius expresserim. Fateor me non intelligere, cur non licuerit mihi dicere, quæ licuit Viro Erudito. Si falsa quidem dixisset, non diffiterer me eum sequutum, nec tamen ejus exemplo defendi vellem, aut palinodiam ullam recusarem; sed vera dicenti cur adsentiri non licuerit, ac similia proferre, sine invidia, nondum capio. An *Caveus* non recordatur similia a se, de Synodo Constantinopolitana, deque *Gregorio Nazianzeno* scripta? An jus hoc sibi soli singulare esse putat? Profecto conjectura adsequi non possum, cur in me reprehendat, quod ab ipso factum est.

Profert dein verba mea Gallica ex vita *Eusebii*, *T. X. B. U. p.* 460. quæ ita Latine verto: *At profecto tunc temporis Imperator* (Constantinus) *pauca sponte sua faciebat, merumque erat nonnullorum Sacerdotum instrumentum; quod nimis sæpe, etiam maximis Principibus, contigit.* Primum agam de Constantino, deinde de ceteris. Confirmo igitur quod de Constantino dixi, rebus ipsis. (*) Primum summopere sprevit controversiam inter Alexandrum & Arium exortam, quos dixit contendere ὑπέρ τινος ματαίου ζητήματος, *de stulta quadam quæstione*, & idem re ipsa sentire. Satis eruditus non erat, ut per se auderet judicium de re ejusmodi ferre, & videtur omnino quispiam, Ario ab auctoritate Alexandri timens, quæstionis momentum extenuasse, apud Constantinum. Eusebium Nico-

(*) *Socrat. Lib. I. c. 7.*

comedienſem hac de re conſultum, non inepte conjicit Scriptor Vitæ *Athanaſii*, Operibus ejus nuper præfixæ, ad annum CCCXXIV. quod litteræ Conſtantini ſint Nicomediæ datæ. Anno ſequente CCCXXV. idem Imperator, ſuffragia plurium in Synodo Nicæna ſequutus, Arium ab ea damnatum acerbiſſime inſectatus eſt. At iterum anno CCCXXXI. Arium in conſpectum ſuum admiſit, artibus Presbyteri cujusdam, qui Conſtantiæ Auguſtæ carus fuerat, juſſitque in Eccleſiam recipi anno CCCXXXII. Athanaſio, ni faceret, exſilium minatus. Verum anno CCCXXXV. cum Athanaſius a Synodo Tyria damnatus fuiſſet, Conſtantinus graviter Synodum caſtigavit, & honorifice, in litteris ad eam datis, de Athanaſio loquutus eſt. Exſtant in Apologia contra Arianos *Athanaſii* Operum T. I. p. 201. Ed. nuperæ Pariſienſis. Sed cum Ariani eum inſimulaſſent, apud Conſtantinum, quaſi minatus eſſet intervertere commeatum frumenti, quod Alexandria Conſtantinopolin quotannis mittebatur; illico in exſilium eſt in Galliam miſſus. Noluit tamen ab Arianis Epiſcopum ullum ejus loco ſubſtitui, graviterque eos propterea increpuit. Summa hæc inconſtantia, in eadem cauſa, liquido oſtendit Conſtantinum aliorum ſuggeſtionibus mollitum, aut exaſperatum, non ſponte ſua & cognitione cauſæ, quaſi ventis adverſis huc illuc actum fuiſſe. *Permirum ſane*, inquit eruditus Benedictinus, ad annum CCCXXXV. n. 28. *tanta pietate & æquitate Principem eo calumniis maledicorum adductum, ut ne quidem exſpec-*

*ſpectata defenſione, inſontem virum pellerit in exſilium. Verum criminis opportunitate, ita Imperatoris animum occupavit Euſebius, ut perquam difficilis aditus veritati relinqueretur. Id eum non ſupplicii cauſa feciſſe adfirmat Conſtantinus junior, ſed quo virum eriperet inimicis magnopere ſævientibus. At licet Conſtantini facilitate nonnunquam Euſebius ad libidinem abuteretur; non tamen ejus animus eo usque Euſebii placitis deditus erat, ut in ejus gratiam, quam exiſtimaret inſontem, ſolum vertere juberet. Quod ſane perſpicuum ex ejus ad Epiſcopos Epiſtola, ubi acriter objurgat illos, quod Athanaſium abdicaſſent. Quamobrem veroſimilius arbitramur hæc dixiſſe Conſtantinum juniorem, ut Patris memoriæ conſuleret, utque pulſi Athanaſii iniquitatem & invidiam minuere ſaltem poſſet. Næ ita in Athanaſium exaſperatum Conſtantini animum narrant Ægyptii Præſules, ut ex ſola Numinis providentia factum putent, quod exſilio tantum, non capite, virum mulctaret.* Hæc & alia habet vir eruditus, ex quibus patet Conſtantinum nimis facilem Eccleſiaſticorum criminationibus aurem præbuiſſe. Quod & liquido colligere eſt, non tantum ex vita noſtra *Euſebii*, ſed & ex ipſius *Cavei* Athanaſiana.

Cum res de Conſtantino negari nequeat, quin de nimis multis aliis magnis Principibus ſit æque vera nemo, niſi hoſpes in Hiſtoriis, inficiari ſuſtineat. Non difficulter fatebitur *Caveus*, Conſtantium, exempli gratia, Conſtantini F. inſtrumentum fuiſſe in manibus Arianorum, quo adverſarios, dum regnavit, ma-

male haberent; quod & de Valente satis constat. Quis Protestantium nescit Reges & Principes Pontificios solere esse organa Pontificii Cleri, ad vexandos aliter sentientes? Hoc quam verum sit, maximo suo malo, experti sunt populi Anglis & Belgis vicini, & ipsi etiam Angli. Quid ergo in meis verbis carpere merito potuit, aut invenire, quo mihi odium crearet? Profecto nihil invenisset, nisi carpendi libidine, præter modum, exarsisset.

Pergit vero exprobrare mihi dicta, quæ, pro more suo, dissimulata mallet: *Ecclesiasticorum vitia, avaritiam, ambitionem, dominandi libidinem, Sacerdotii & Episcopatuum aucupationem, superbiam, iracundiam, lites & jurgia pro nugis, nulliusque momenti rebus, idque sub specioso fidei defendendæ prætextu, ex* Basilio *&* Nazianzeno *luculenter exponit.* In margine notat varia loca Vitæ *Gregorii Nazianzeni.* Vide pag. 56. T. XVIII. B. U. Si Vir Doctus quereretur me falsi quidpiam, contra venerandam Antiquitatem, protulisse, propter eaque indignaretur, non mirarer; nihil enim in Historia gravius committi potest, quam cum quidpiam fingitur. Si Dei atque hominum fidem adpellaret, ob turpem dissimulationem, qua malos homines pro bonis venditassem; memet ipse damnarem, querelasque ejus justas esse existimarem. Si levi auctori aut cujus Veritatem ignorari, vel corrumpi interfuisset, sine examine ac temere, credidissem de re gravi, & quasi testem fide dignum eum protulissem; non

possem diffiteri esse cur a *Caveo* inscitiæ & temeritatis arguerer. Verum ex *Gregorio Nazianzeno*, & solis ferme ejus verbis mores Ecclesiasticorum ejus ævi pinxi, nec testem graviorem adducere potui. Igitur neque mendacii, neque dissimulationis, neque temeritatis insimulari potui, quæ vitia sola possunt Historico objici. Sed video, nisi fallor, quid sit. Meam παῤῥησίαν ferre non potuit *Caveus*, & quia *Gregorio Nazianzeno* indignari non ausus est, iram in me suam convertit. Hic quæso adtendas, ILLUSTRISSIME PRÆSUL, hominis iniquitatem. Consilium mihi fuit in Vitis aliquot Patrum, quas in *Bibliotheca Universali* Gallice edidi, Vitas eorum ita scribere, ut non modo quæ iis contigissent candide narrarem, sed etiam ut eorum Opera diligenter recenserem; quoad ejus fieri posset, in Vitis exiguo Volumini inserendis. Rem præstiti ea fide, ac brevitate, quæ multis placuerunt; nisi me amici fallunt, exemplariumque celer venditio decipit. Probe novi Anglicam etiam Versionem, haud male a popularibus vestris exceptam; nisi a *Caveo* ejusque, si qui sunt, similibus; qui indoluerunt (ut videtur, neque enim aliud conjicere possum) quod nimis aperte dicerem, quod maxima ex parte silentio involvebant; & quod Vitas a me scriptas legentes, conferentesque cum *Caveanis*, intellecturi essent multa sibi esse dissimulata.

Non repetam hic quæ in aliis litteris dixi, de fœda illa & periculosa consuetudine dissimulandi in Historia Ecclesiastica; sed duo quæ-

quæram, annon descriptio morum Ecclesiasticorum hominum illius ævi pertineat ad Historiam Ecclesiasticam Sæculi IV? Item an gravissimæ querelæ de eorum vitiis, quæ querelæ passim leguntur in Operibus *Gregorii*, possent ab eo prætermitti, qui adgressus esset scribere non tantum de Vita, sed & de optimi viri Scriptis?

Prius, ut mihi quidem videtur, non potest negari. Cum enim ex vitiis aut virtutibus hominum profluant eorum recte aut secus facta, hæc sine illis intelligi nequeunt; adeoque de utrisque agere debet Historia. Propterea ab omnibus laudatur C. *Sallustius*, ob adcuratas descriptiones collapsorum morum, in Romana Republica; sine quibus pæne incredibilis visa fuisset conjuratio Catilinaria, & longa illa Jugurthini belli, quod brevi alioqui potuisset confici, mora. At quia scimus longe maximum fuisse luxum Romanorum, ac proinde ingentem alienæ pecuniæ cupiditatem, quæ est luxus perpetua comes; quia scimus mores nobilitatis Romanæ, ea ætate, fuisse perditissimos; nihil tam fœdum ac sceleratum est, in utraque Historia, quod incredibile nobis videatur. Similiter nisi sciremus ex *Gregorio*, quænam fuerit indoles multorum Sacerdotum illius ævi; vix impetrare possemus a nobis ut nonnulla crederemus, quæ ea tempestate contigerunt. Exempli causa, schisma dicitur fuisse in Ecclesia Antiochena, non modo inter Nicænis placitis addictos & Arianos, sed & inter priores ab anno CCCLXII, quo Lucifer Paulinum Pres-

byterum Episcopum, intempestive, consecrarat, quamvis jam esset illic Meletius Nicænarum partium Episcopus. Ab eo tempore, (*) cum neuter Episcopatu cedere vellet, Schisma perduraverat ad annum usque CCCLXXXI. quo habita est Constantinopolitana Synodus. At convenerat inter partes, ei, qui superstes foret, soli relictum iri Antiochenam Ecclesiam, nullo alio successore electo. Cum autem ad Synodum se contulisset Meletius, Constantinopoli obiit. Itaque actum in Synodo, de redigendis in concordiam, secundum illud prius pactum, dissidentibus Antiochenis. At homines factiosi cœperunt novam electionem in Synodo poscere & Flavianum quidem Meletio, contra jus & fas, & spreta prorsum Ecclesiæ pace, substituendum contendebant. Ibi *Gregorius* sententiam dixit de componendo dissidio, qua illis satisfactum iri putabat; nimirum, censuit Paulino, ætate confecto, soli relinquendam Antiochenæ Ecclesiæ curam; quo vita functo, dissidentes in locum unum coacti, communibus suffragiis, essent unum Episcopum sibi electuri. Nihil fœdius erat tam longo Schismate, ex quo colligere licebat Antiochenum Clerum minime pacis amantem fuisse, & Episcopalis dignitatis æquo avidiorem. Nihil turpius facere potuit Synodus, quam pudendum Schisma fovere; cum præsertim ratio iniri posset, qua utrisque partibus satisfieret, & quam *Gregorius* proloquutus fuerat. Attamen Sacerdotes

(*) *Vide Vitam* Gregorii.

tes, quos merito vocat *Gregorius* (*) σπουδαρχίδας, & αὔρας φυσώσας τὴν ἐνημμένην φλόγα; *studiosos imperii*, *&* *auras flantes accensam flammam*; Sacerdotes, inquam, optimo consilio spreto, successorem Meletio suffecerunt Flavianum. Qui potuerunt ita se gerere, eos profecto oportet fuisse quales describit *Gregorius*; cujus verba significantiora multo sunt & plura iis, quibus Gallice rem expressi. Nihil enim est in narratione mea, quod æquet vim horumce verborum, quibus describit eos, qui prudenti ejus consilio surdam aurem opposuerunt: (†)

Δῆμος κολοιῶν εἰς ἓν ἐσκευασμένος,
Τύρβη νέων τις, καινὸν ἐργαστήριον,
Λαίλαξ κόνιν σύρουσα, πνευμάτων στάσις,
Οἷς οὐδ' ἂν ἠξίωσε τῶν τις ἐντελῶν
Φόβῳ τε θείῳ καὶ θρόνῳ δοῦναι λόγον,
Ἄτακτα παφλάζουσιν, ἢ σφηκῶν δίκην
Ἄττουσιν εὐθὺ τῶν προσώπων ἀθρόως.

*Plebs gracculorum in unum collecta, turba quædam juvenum, nova taberna, turbo pulverem trahens, ventorum seditio, cum quibus nemo eorum, qui timore Dei & sede episcopali ornati erant, colloqui dignatus esset, sine ordine garrientibus, aut vesparum more illico & confertim vultum involantibus.*

L 3 Alia

(*) Tom. II. p. 25. *in Carmine de vita sua.*
(†) *Ibid.* p. 27.

Alia multa habet æque aſpera, aut aſperiora, in eodem Carmine de Vita ſua; ſed iis elogiis digni erant, qui eum Conſtantinopolitana ſede deturbarunt, ut ei Nectarium ſubſtituerent; quod ſine indignatione nec legi, nec narrari poteſt, quamvis ceteroquin hoc tam turbulentem Concilium merito Macedonium damnarit, & Oecumenicum habeatur. Legatur & hanc in rem *Gregorii* querela de Epiſcopis, quæ Latine tantum edita fuerat a *Joanne Leunclavio*, ſed quam Græce etiam emiſit in lucem *Jac. Tollius*, Ultrajecti, anno 1696; nec videbor amplius aſperrima quæque excerpſiſſe, in Vita Gallica *Gregorii*. Si hæc prætermittantur in Hiſtoria Sæculi IV. adeoque prætermittenda, neſcio quem in finem, cenſeantur; non video cur in aliis Hiſtoriis diſſimulationes vituperari queant, & cur non liceat etiam peſſimos homines deſcribere non quales fuerunt, ſed quales eſſe debuerunt.

Poſterius meum quæſitum fuit, an liceret diſſimulanter omittere quæ de moribus Eccleſiaſticorum habet *Gregorius* Opera ejus diligentius recenſenti, eorumque argumenta ſingillatim tradenti.

Quod nemo adfirmarit qui legerit Opera *Gregorii*, ſciveritque frequentiſſimas eas eſſe & gravisſimas apud illum querelas. Si quis adgrederetur nos docere quid ſit obſervatu dignum in Epiſtolis *Iſidori Peluſiotæ*, an poſſet omittere acerrimas caſtigationes Epiſcoporum Ægyptiorum & Presbyterorum, ex quibus maxime adparent optimi illius viri παῤῥησία & ſtudium virtutis?

Di-

Dicendum omnino esset quod judicium tulerit de Theophili Alexandrini indole, & facinore adversus Joannem Constantinopolitanum, cui ob eloquentiam *Chrysostomi* nomen inditum: Ἡ γείτων Αἴγυπτος, inquit, συνήθως ἠνόμησε, —— τὸν λιθομανῆ γὰρ καὶ χρυσολάτρην περιβαλλομένη Θεόφιλον, τέσσαρσι συνεργοῖς, ἢ μᾶλλον συναποστάταις ὀχυρωθέντα, τὸν θεοφιλῆ, καὶ θεολόγον κατεπολέμησεν ἄνθρωπον: *Vicina Ægyptus, pro more suo, nefarie se gessit —— mittens enim amore lapillorum furentem, & auri cultorem Theophilum, firmatum quatuor sociis aut potius una transfugis, expugnavit hominem pium ac Theologum.* Lib. 1. Ep. 152.

Non omittenda essent monita libera & justa, quibus Cyrillum, Theophili successorem, in Ephesina Synodo æqui atque iniqui rationem exiguam habentem, ad officium revocare conatus est. Προσπάθεια μὲν, inquiebat, οὐκ ὀξυδορκεῖ, ἀντιπάθεια δὲ ὅλως οὐχ ὁρᾷ: *præposterus quidem favor non acute cernit, odium vero nihil omnino videt.* Tum pergit, ut intelligamus quo spectet egregia sententia, a qua Epistolam ad Cyrillum orditur. Εἰ τοίνυν ἑκατέρας λήμης βούλει καθαρεῦσαι, μὴ βιαίας ἀποφάσεις ἐκβίβαζε, ἀλλὰ κρίσει δικαίᾳ τὰς αἰτίας ἐπίτρεψον· ἐπειδὴ καὶ Θεὸς ὁ πάντα εἰδὼς πρὸ γενέσεως, καταβῆναι καὶ τὴν κραυγὴν ἰδεῖν Σοδόμων φιλανθρώπως ηὐδόκησεν, ἡμᾶς ἀκριβοῦς ἐρεύνης διδάσκων ὑπόθε-

σιν· πολλοὶ γάρ σε κωμῳδοῦσι τῶν συνειλεγμένων εἰς Ἔφεσον, ὡς οἰκείαν ἀμυνόμενον ἔχθραν, ἀλλ' οὐ τὰ τοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ ὀρθοδόξως ζητοῦντα· Ἀδελφιδοῦς ἐστι, φασὶ, Θεοφίλου, μιμούμενος ἐκείνου τὴν γνώμην. ὥσπερ γὰρ ἐκεῖνος μανίαν σαφῆ κατεσκέδασε τοῦ θεοφόρου καὶ θεοφιλοῦς Ἰωάννου, οὕτως ἐπιθυμεῖ καυχήσασθαι καὶ οὗτος. εἰ καὶ πολὺ τῶν κρινομένων ἐστὶ τὸ διάφορον: *Quapropter si ab utraque lippitudine purus esse vis, noli violentas sententias ferre; verum criminationes justo judicio committe. Quare & Deus qui omnia novit, antequam sint, censuit descendendum esse & videndum clamorem Sodomorum; nos docens oportere adcuratum examen adhibere. Multi enim, ex iis qui sunt Ephesum coacti, te traducunt, ut privatam persequentem inimicitiam, non quæ sunt Christi recta sententia quærentem. Sororis Theophili, inquiunt, filius est, qui ejus animum imitatur; ut enim ille manifestum furorem effudit in religiosum ac Deo amicum Joannem; sic & hic superbire gestit, quamvis eorum qui judicantur multum sit discrimen Lib. I. Ep.* 310. Non minus libere contendendi libidinem in *Cyrillo* alibi castigat, ubi hisce verbis eum adloquitur: Ἵνα τοίνυν κἀγὼ μὴ κατακριθῶ, καὶ αὐτὸς παρὰ Θεοῦ μὴ κριθῇς, παῦσον τὰς ἔριδας· μὴ οἰκείας ὕβρεως ἄμυναν, ἣν παρὰ θνητῶν κεχρεώστησαι, ζῶσαν ἐκκλησίαν μεθόδευε, καὶ αἰώνιον αὐτῇ διχόνοιαν ἐν προσχήματι εὐσεβείας κατασκεύαζε: *Quamobrem*

*ne*

*ne & ego condemner, & tu judicium divinum subeas, desine contendere. Ne privatæ contumeliæ ultionem, qua a mortalibus tamquam ære alieno obstrictus es, in viventem Ecclesiam arte deriva, nec æternam ei divisionem obtentu pietatis crea.* Ep. 370. ejusdem Libri. Quam hæc sint libera monita ii intelligunt, qui sciunt *Isidorum* surdo cecinisse; quod hominum genus monitionum est impatientissimum.

Minime etiam prætermittenda essent, quæ habet vir constantissimus, de Eusebio, Pelusiotarum Episcopo, & nonnullis ex ejus Clero. Pauca eorum adtingam, nam, si omnia colligerentur, vel sola non exiguam Epistolam implerent. Eusebius ergo ὁ κατ' ἀντίφρασιν τῆς ἀσεβείας Εὐσέβιον ἑαυτὸν καλέσας —— φαυλόν τι καὶ πεπατημένον πρᾶγμα τὴν ἱεροσύνην ἡγησάμενος, καὶ τοῖς τὰ αὐτὰ αὐτῷ δρῶσι ταύτην νέμειν τολμᾷ τοὺς μὲν πάσης τιμῆς ἀξίους ἐξοστρακίζων, τοὺς δὲ μηδ' ἐν λαϊκοῦ τάξει τελεῖν δικαίους, εἰς τὸ σεπτὸν θυσιαστήριον ἀνάγων, διπλῆ τοῦτο, τόγε εἰς αὐτὸν ἧκον, καθυβρίζων, τῷ τε τοὺς ἀξίους ἀπείργειν, τῷ τε τοὺς ἀναξίους ἐγκρίνειν: *cum per impietatis antiphrasin se ipsum Eusebium adpellarit —— rem vilem esse & conculcatam sacerdotium ratus, iis qui similia ipsi faciunt tribuere id audet, dignos omni honore expellens, eos qui ne in laicorum quidem ordine censeri digni sunt ad venerandum altare subvehit, ac duplici contumelia, quantum in se est,*

*id adficit; quod & dignos arceat, & indignos adlegat.* Idem vendebat ſacerdotia, ut liquet ex Epp. 26. & 151. Lib. I. incolas pellebat Peluſio, Epp. 39, 119, 120. Lib I. ædificabat tamen illic Eccleſiam, ſed ex rapto. Epp. 37. & 113. Lib. I. erat ſuperbus & ignarus Ep. 45. Lib. IV.

Paſſim etiam graviſſime invehitur in Zoſimum, & Maronem Presbyteros, qui in Peluſiotarum Eccleſia Sacerdotium emerant, in Lucium Archidiaconum & alios, quos neceſſe eſt ſceleratisſimos homines fuiſſe. Zoſimus præſertim ei eſt *vitii promptuarium, impudentiæ theſaurus*, ταμεῖον κακίας, θησαυρὸς ἀναισχυντίας, Lib. II. Ep. 108; *vitia omnia in ſe habens, virtutis ne veſtigium quidem ullum, ab hominum genere excludendus, ut bellua humanam formam gerens, aut peſtifer dæmon, naturæque hoſtis:* πάντα ἐλαττώματα ἐν αὐτῷ ἐχόμενον, κατορθώματος δὲ οὐδὲ ἴχνος ἐκεῖνον τοῦ τῶν ἀνθρώπων ἀπεδοκίμαζον γένους, καὶ ἀνθρωπόμορφον θηρίον, ἢ δαίμονα ἀλάστορα, καὶ τῆς φύσεως ἐχθρὸν ἤκαζον· Lib. III. Ep. 248. Talibus elogiis eum paſſim ornat, & ſevere omnis generis Sacerdotes caſtigat. Ex quibus caſtigationibus intelligere eſt Ægyptiarum Eccleſiarum miſeram fuiſſe conditionem, in qua tales viri ferebantur, in muneribus Eccleſiaſticis: atque inde ortæ ſunt earum, hac & ſequentibus ætatibus, calamitates.

Non eſſet etiam diſſimulandum querelas Iſi-

*Isidori* non spectare paucos tantum Episcopos, aut Presbyteros in Ægypto, sed magnum eorum numerum, ut liquet ex Ep. 21. Lib. V. ubi conferens præterita tempora cum suis, τότε μὲν, inquit, οἱ φιλάρετοι εἰς ἱερωσύνην προήγοντο, νυνὶ δὲ οἱ φιλάργυροι· τότε οἱ φεύγοντες τὸ πρᾶγμα, διὰ τὸ μέγεθος τῆς ἀρχῆς, νῦν δὲ οἱ ἐπιπηδῶντες τῷ πράγματι, διὰ τὸ μέγεθος τῆς τρυφῆς· τότε οἱ ἀκτημοσύνῃ ἑκουσίῳ ἐναβρυνόμενοι, νυνὶ δὲ οἱ πλεονεξίᾳ ἑκουσίῳ χρηματιζόμενοι. τότε οἱ πρὸ ὀφθαλμῶν ἔχοντες τὸ θεῖον δικαστήριον, νυνὶ δὲ οἱ μηδὲ ἔννοιαν τούτου ἔχοντες· τότε οἱ τύπτεσθαι, νῦν δὲ οἱ τύπτειν ἕτοιμοι· καὶ τί δεῖ τὰ πολλὰ λέγειν; μεταπεπτωκέναι λοιπὸν τὸ ἀξίωμα ἔδοξεν ἀπὸ ἱερωσύνης εἰς τυραννίδα, ἀπὸ ταπεινοφροσύνης εἰς ὑπερηφανίαν, ἀπὸ νηστείας εἰς τρυφὴν, ἀπὸ οἰκονομίας εἰς δεσποτείαν, οὐ γὰρ ὡς οἰκονόμοι ἀξιοῦσι διοικεῖν, ἀλλ' ὡς δεσπόται σφετερίζεσθαι: *Tunc virtutis amantes Sacerdotio sunt admoti, nunc avari; tunc qui rem fugiebant, propter magnitudinem imperii, nunc vero qui rem invadunt propter magnitudinem deliciarum; tunc voluntaria paupertate gloriantes, nunc spontanea cupiditate pecunias coacervantes; tunc qui habebant præ oculis divinum tribunal, nunc qui de eo ne cogitant quidem; tunc parati verberibus accipiendis, nunc inferendis. Sed quid pluribus opus est? Recidisse nunc ea dignitas videtur a Sacerdotio ad tyrannidem, ab humilitate ad superbiam, a jejunio ad*

*ad delicias, a dispensatione ad dominium. Non enim ut dispensatores administrare rem volunt, sed instar dominorum sibi quasi propriam vindicare.* Non erant quidem omnes ejusmodi, sed tanto tamen numero ut bonis essent terrori, adeoque auctoritatem eorum secure riderent: Ταῦτα δὲ οὐ κατὰ πάντων εἴρηται, ἀλλὰ κατὰ τῶν ἐνόχων· εἰσὶ γὰρ εἰσὶν οἱ κατὰ τὸ ἀποστολικὸν μὲν ζῶσι χαρακτῆρα, ῥῆξαι δὲ φωνὴν μὴ τολμῶντες· εἰ καὶ λίαν εἰσὶ κατὰ τοῦτο μόνον μεμπτοὶ, ὅτι δεδοικότες τῶν ἀκολάστων τὸ πλῆθος, τό γε εἰς αὐτοὺς ἧκον, τῆς τηλικαύτης διορθώσεως ἀμελοῦσι: *Hæc vero non in omnes dicta sunt, sed in reos. Sunt enim, sunt, inquam, qui secundum Apostolicum institutum vivunt, vocem tamen mittere non audent; etiamsi sunt propter hoc solum vituperandi, quod improborum veriti multitudinem, quod est ipsorum officii, talem emendationem adgredi negligunt.* Hæc habet Epist. 21. Libri V. cum qua sunt conferendæ etiam Epp. 37. & 126.

Hæc & alia multo plura necessario essent commemoranda ei qui *Isidori* Epistolas recensere ea, qua par est, fide vellet. An propterea jure haberetur Ecclesiastici Ordinis inimicus & insectator? Non magis quam ipse *Isidorus*, qui quanto odio invehebatur in vitia, tanto amore homines prosequebatur; & quam acerbe abusus Dignitatum Ecclesiasticarum castigabat, tam reverenter de ipsa Hierarchia sentiebat, ut sæpe ostendit.

Attamen *Caveus* noster, qua est æquitate, non

non potuit ferre me ex *Gregorio Nazianzeno* describentem mores Ecclesiasticorum ejus ævi; utque majorem mihi inde apud malos (nam apud bonos nihil est quod timeam, cum & ipsi ingemant propter multitudinem malorum) invidiam conflet; *ne quo*, inquit, *hæc tendant nesciremus*, *subdit: nisi constaret nobis de quibus hæc dicta sunt, existimaret quis non aliud hic, præter hodiernorum Theologorum imaginem, nobis exhiberi.* Horum verborum sensus legitur p. 57. T. XVIII. B. U. Hic vero quæsiverim a nostro, an hodie Ecclesiasticorum mores, per totam Europam, etiam qua regnum Pontificium patet, sint meliores moribus sæculi quarti? Non audebit, nisi fallor, dicere, cum antiquiora videatur hodiernis multum præferre. Itaque deteriores, aut certe non meliores esse respondebit. Quare ergo queritur, quod verum dixerim? An debet dissimulari, hoc tempore, potius quam ævo *Gregorii* aut *Isidori?* Profecto non video. Igitur oportet ut damnet optimos illos viros, si me damnatum velit, aut me cum illis absolvat. Annon etiam nimis multi sunt, inter eos qui secessere ab Ecclesia Romana, quibus merito possis aptare quæ de sæculi IV & V. Ecclesiasticis dixere fortissimi ac constantissimi homines? An talem neminem novit *Caveus?*

Propter hujusmodi querelas, in libello de *Incredulitate*, Parte II. Cap. 2. vult me Theologorum Christianorum inimicum esse: *& sane*, inquit, *quam benevolum in Theologos Christianos gerat animum, in libro suo de Incre-*

*credulitate, nuper apud nos edito, testatus est.* Testatus sum, in eo Libro, pravos Ecclesiasticorum mores occasionem præbere incredulis rejiciendæ immerito Religionis Christianæ, cujus Veritas ab eorum moribus non pendet. Invectus sum in Theologos simulatores virtutis, qui Religioni vitiis suis officiunt. Quis bonus non idem faciat, aut non fecerit?

Res ipsa non potest negari, nisi a dissimulatoribus, quos sciunt quivis ex animo non loqui. Quod cum ita sit, an dicendum erit Theologis licere per Evangelium ita vitam instituere? Non puto. An erit ipsa Religio in discrimen adducenda, ut existimationem eorum, qui eam infamant, fucata oratione, & pravis artibus tueamur? Non opinor. Itaque cum sint damnandi eorum mores, aut amittenda Religio; prius illud eligamus necesse est, si velimus haberi ex animo Christiani. In Concilio Tridentino, arte hac frequentissime usi sunt Pontificii Legati; dictitabant, scilicet, consulendum esse honori Pontificis Romani, aut Synodi etiam, vel totius Ordinis Ecclesiastici; si quid proponeretur emendandum, ex cujus emendatione colligi potuisset peccatum ab iis contra bonos mores, aut contra Veritatem fuisse. Si quis emendationem paullo acrius urgeret, eum continuo infamabant, quasi Sanctæ Sedis, Synodi, aut totius Sacri Ordinis inimicum. Sic tandem Patres illi Tridentini, ut honori suo consulerent, ipsam Religionem, sanctissimaque ejus præcepta prodiderunt. Velletne *Caveus*, ut ho-

honori eorum consulerem, qui maculæ sunt reverendi Ordinis, & scandalum ad quod permulti offendunt; me, contra quam omnes vident, dictitare Theologos ubique longe plurimos vivere, qui sint exemplaria virtutum omnium Christianarum, & calumnias meras esse, quæ de illis sparguntur? Hoc demum esset blandiri vitiis, & Religionem perditum ire, cum qua mali vehementer optant conjungi causam vitiorum, ut una cum vitiis damnetur; utque mera histrionia habeatur, ab iis qui vident pallium pravis moribus nonnullorum Ecclesiasticorum obtendi, æque magno studio ac ipsa Religio defenditur.

Non puto Virum Eruditum vidisse consectaria hæc, quamvis necessaria, eorum quæ mihi objecit, nimio adfectu præpeditus, & in me fortasse aliunde exacerbatus. Itaque nec ea illi tribuo, sed fuere recensenda, ut intelligeret quam immerito in me invectus esset, posteaque cautius sibi adversarios deligeret. Operam etiam dedi, ut hæc nostra disceptatio minus tædiosa fieret, examine capitum ad quæ eam retuli; quod an adsequutus sim, nemo melius judicaverit, quam tu, ILLUSTRISSIME PRÆSUL, cujus & acumen & eruditio ubique notissima sunt.

Sic existimo me luculenter probasse dissimulatorem esse *Caveum*, & quidem sine ratione, & contra id quod leges de scribenda Historia exigant; tum etiam me ita diluisse quæ objecit, ut nullus dubitationi supersit locus. Si tamen, apud alios Judices, causa hæc agenda fuisset, esset quod timerem mihi ab adfectibus,

bus, aut a præjudicatis opinionibus; quibus plerique multo plus tribuunt, quam Veritati. Sed apud tales disceptatores, quales estis, nihil sibi timere potest qui Veritatem adgressus est tueri; contra quam nihil valent apud vos adfectus, nihil temere conceptæ opiniones, quibus minime omnium laboratis. Propterea peregrinus cum populari vestro, alienus ab Ecclesia Anglicana cum ejus Presbytero & Canonico, vobis judicibus, certare minime dubitavi; nec imprudentiæ aut temeritatis a quoquam ne insimularer veritus sum. Quod si res aliter caderet, quam spero, non possem non laudari ab æquis hominibus; quod & de causa & de judicibus optime sentiens eam fiduciam ubique præ me tulerim. Me puderet minus bene sensisse de eruditione & æquitate Præsulum Ecclesiæ Anglicanæ, quam ex re ipsa postea par fuisse viderem; at me honestissimæ opinionis de viris doctissimis atque ad tantas dignitates evectis numquam pœnitebit. Vale, REVERENDISSIME PRÆSUL, & me inter nominis tui cultores habeto.

*Dabam Amstelodami, Nonis Juliis*

cIɔ Iɔ c xcix.

## EPISTOLA VII.

*Ex nullo teste fide digno constare a Platone Prophetarum Hebræorum Scripta lecta fuisse; nec ullo indicio liquere eum quidquam ab iis esse mutuatum. Cur ad illum potissimum auctorem doctrina de Tribus Principiis referatur. Eam non esse petitam ex Vetere Testamento, nec eamdem ac Trinitatem Christianam; quamvis crediderint Patres, ex nimio studio Philosophos insignes ad se trahendi. Rem maxima ex parte a Timæo, & Platone inventam, quod ex eorum libris demonstratur.*

## L. CANDIDO VERO
S. P. D.
## JOANNES CLERICUS.

CUM ineunte anno decimi septimi hujusce sæculi XCV, edidissem, ut nosti, L. CANDIDE, Animadversiones ad XVIII. prima commata Cap. I. Evangelii Joannis, & probare conatus essem Evangelistam ad *Philonis* Alexandrini doctrinam & loquutiones respexisse; de *Philone* loquutus

ſum, quaſi de Philoſopho Platonico, & qui ex *Platone* varia hauſerat. Ac ſane oſtendi ad verſ. 1. Evang. Joannis, cum alios Philoſophos, tum etiam *Platonem* περὶ τῦ Λόγυ ante loquutos eſſe, quemadmodum *Philo* poſtea eſt loquutus. Propoſita hæc conjectura, ut ab Eruditis expenderetur, ceteraque verborum Joannis interpretamenta mea excitarunt nonnullos; qui oſtenderunt non modo ſe a me diſſentire, ſed etiam in me inhumanius invecti ſunt; quaſi diſſentire, ſine ira atque acerbitate, non liceret. Quod quamobrem fecerint nolo quærere, cum præſtet ſepeliri oblivione perpetua convicia ac contumelioſe dicta; quam, adcurata confutatione, poſteritati mandari. Ad rem vero ipſam quod adtinet, hoc unum a Lectore veri & æqui ſtudioſo poſtulo, ut ne judicet de hiſce controverſiis, ex ſolis eorum libris; ſed ut Opuſculum meum etiam perlegat. Ex collatione utrorumque Scriptorum ſatis intelliget, ex utrorum partibus ſtet Veritas, aut Veriſimilitudo; niſi ſit aut iniquus, aut harum rerum prorſus imperitus. Nullus eſſet umquam finis contentionum ac moleſtiarum, ſi reponendum eſſet omnibus objectionibus, quæ aliæ ex aliis naſcuntur; præſertim ſi qui iis utuntur aut non ſatis acuti ſint, aut etiam malæ fidei. Me quidem ita diſtædet rixarum, ut propemodum malim cito ab iniquo Lectore damnari; quam ſi neceſſe ſit a me aliquot volumina edi, ut retundam calumnias adverſariorum, aut errores demonſtrem.

Igi-

Igitur missis omnibus eorum dicteriis ac paralogismis, aliquot quæstionum summa veluti capita ex concertatione excerpam adcuratius expendenda; de quibus ea poterunt dici, quæ sunt in disceptatione partim prorsus intacta, partim obiter dumtaxat indicata. Dabo præterea operam ut ea excutienda deligam, quorum examen neque injucundum, neque inutile possit videri. Primum erit de *Platone*, a quo volunt multi aut lectos Libros Sacros Hebræorum, aut certe interrogatos Judæos, dum in Ægypto versaretur; atque ex eorum doctrina multa postea in Operibus, quæ ad nos pervenerunt, scripta. Quæram præsertim an quod de *tribus summis Diis* senſit, e Judæorum sermonibus, vel Libris hauserit.

Duo sunt, ex quibus intelligere licet, an *Plato* quæ adfinia habet aut Judaïcæ aut Christianæ Religioni, ex Libris vel sermonibus Judæorum desumserit; testimonia, nimirum, aut ipsius, aut aliorum fide dignorum: vel res ipsæ, quæ ejusmodi sint, aut iis verbis expressæ, ut dubium esse nequeat, quin eas ex Hebræorum Libris mutuatus sit.

*Plato* quidem non diffitebatur multa se a *Barbaris* accepisse, quemadmodum ostendit *Clemens Alexandrinus* Strom. Lib. I. p. 301. & seqq. At non erat unum *Barbarorum* genus; πολλὰ καὶ τὰ τῶν βαρβάρων γένη, inquit ille in *Phædone*, quæ etiam recenset *Clemens*, loco laudato. Ideoque, si fateamur *Platonem* multa debuisse *Barbaris*, propterea tamen consequens non est Hebræos aut Libros,

bros, aut homines ab eo fuiſſe conſultos. *Si* vel ſolos Ægyptios adiiſſet, quod conſtat ex ejus vita, recte dici poſſet *barbaros* audiviſſe Magiſtros, quamvis reliquorum *barbarorum* ne nomina quidem fando accepiſſet. Annon dixit *Cicero* Lib. V. de Finibus c. 29. *Plato Ægyptum peragravit, ut a Sacerdotibus barbaris numeros & cœleſtia acciperet?*

At objiciunt præterea varii eruditi *Platonem* in Cratylo, fateri Græca nomina rerum accepta eſſe aut a Diis, aut a Barbaris; quam poſteriorem opinionem ita exprimit: παρὰ βαρβάρων τινῶν αὐτὰ παρειλήφαμεν, εἰσὶ δ' ἡμῶν ἀρχαιότεροι βάρβαροι: *a Barbaris quibusdam ea accepimus, ſunt autem nobis antiquiores Barbari.* At intelligit non Hebræos, ſed primos Græciæ incolas; quorum barbara erat Lingua, nec niſi longo temporis lapſu in Græcam mutata: nimirum, Pelasgos, quos Græciam primum occupaſſe multis oſtendit *Eduard. Stillingfleetus* vir doctiſſimus, Originum Sacrarum Lib. III. C. IV. Sect. 11. Nec ſane quiſquam ſanus dixerit Linguam Græcam deberi Heberi, non Javanis, vel Ionis poſteris, a quibus conſtat Græciam primum cultam fuiſſe, ex Gen. X, 4, 5. & quorum Lingua initio Hebraïcæ, ut ceteræ Orientales, adfinis erat. Itaque fruſtra hic quæruntur Judæi, fruſtraque *Plato* eos ideo noviſſe colligitur.

Verum ut videatur *Plato* Hebræos audiviſſe, dicitur mentionem facere Lib. III. de Republica non procul a fine *fabulæ Phœni-*

ciæ

*tiæ* de origine hominum; in qua putatur adludere ad historiam creationis, quæ apud Mosem exstat; ita ut *Phœniciam* fabulam dixerit pro *Judaïca*, quod cum Phœnicibus Judæos misceret, quippe vicinos & apud Græcos minus celebres. At quam sit hæc levis conjectura, quamque inanis, liquebit ex ipsis verbis *Platonis*, quæ paullo plura proferemus. Antequam ad rem veniat, ita præfatur: τίς ἂν οὖν μηχανὴ γένοιτο τῶν ψευδῶν τῶν ἐν δέοντι γινομένων; ὧν δὴ νῦν ἐλέγομεν γενναῖόν τι εἶναι ψευδομένους πεῖσαι, μάλιστα μὲν καὶ αὐτοὺς τοὺς ἄρχοντας, εἰ δὲ μή, τὴν ἄλλην πόλιν: *Quæ ergo possit esse machina mendaciorum, ubi necesse est, fictorum? Qualia diximus generosum quidpiam esse mentientes persuadere, præsertim quidem magistratus, sin minus, reliquam civitatem.* Si *Plato* quod dicturus est acceperat a Judæis, sique de iis, eorumve Libris bene sentiebat; turpi profecto præfatione Sacras eorum Historias infamabat, nedum ut eas Græcis commendaret, & contra animi sui sententiam sine necessitate loquebatur. Nihil enim vetabat quominus creationem hominis narraret, prout exstat apud Mosem. Invidiosior narratio esse non poterat, apud Græcos, quam quæ ea de re in *Timæo* habet. Deinde ita pergit: ποῖόν τι; ἔφη. *Quale istuc ais?* inquit ille. Μηδὲν καινὸν, ἦν δ' ἐγὼ, ἀλλὰ Φοινικικόν τι, πρότερον μὲν ἤδη πολλαχοῦ γεγονὸς, ὥς φασιν οἱ ποιηταὶ καὶ πεπείκασιν· ἐφ' ἡμῶν δὲ

οὐ γεγονὸς, οὐδ' οἶδα εἰ γενόμενον ἄν· πεῖσαι δὲ συχνῆς πειθοῦς: *Nihil novi equidem, inquam, ſed Phœnicium quiddam, quod multo ante quidem contigit, ut dicunt Poëtæ & perſuaſerunt; noſtris vero temporibus minime factum, nec ſcio an umquam contigerit; perſuadere certe difficillimum eſſet.* Ὡς ἔοικας, ἔφη, ὀκνοῦντι λέγειν. *quam gravatim*, inquit, *ad dicendum videris accedere.* Δόξω δέ σοι, ἦν δ' ἐγὼ, καὶ μάλιϛα εἰκότως ὀκνεῖν ἐπειδὰν εἴπω. *Videbor tibi, inquam ego, merito gravatus, cum dixero.* Λέγ', ἔφη, καὶ μὴ φοβοῦ: *Dic*, inquit, *nec timeto.* Λέγω δὴ καίπερ οὐκ οἶδα ὁποίᾳ τόλμῃ, ἢ ποίοις λόγοις χρώμενος ἐρῶ. καὶ ἐπιχειρήσω πρῶτον μὲν αὐτοὺς τοὺς ἄρχοντας πείθειν καὶ τοὺς ϛρατιώτας, ἔπειτα δὲ καὶ τὴν ἄλλην πόλιν, ὡς ἄρ' ἃ ἡμεῖς αὐτοὺς ἐτρέφομέν τε καὶ ἐπαιδεύομεν, ὥσπερ ὀνείρατα ἐδόκουν ταῦτα πάντα πάσχειν τε καὶ γίγνεσθαι περὶ αὐτοὺς: *Dico ſane, quamvis neſciam qua audacia, aut qualibus verbis utens dicam. Primum quidem adgrediar ipſos Magiſtratus & milites perſuadere, deinde & reliquam civitatem: quaſi ea in quibus nos eos enutrivimus, & erudiimus, inſtar ſomniorum omnia eis contigiſſent, & facta circa eos fuiſſent.*

Hæc omnia, quæ tam anxie præmittit, minime redolent animum credentem vera eſſe quæ dicturus eſt. Verum egregie conveniunt homini fabulam timide fingenti, ad imitationem Poëticarum, quas ex Reipublicæ ſuæ civium

vium animis exterminatas volebat; quamobrem timebat ne rideretur, cum persuadere vellet similia iis, quæ ipse adunco naso suspendere solebat. Nec profecto ea vera credere poterat de creatione hominum quæ hic habet, si credebat ea quæ in *Timæo*, aut in *Politico*, aut in *Symposio*, eadem de re leguntur, & quæ sunt plane diversa. Ac sane auctores fingendæ a se hujus fabulæ laudat *Phœnicas*, hoc est, homines apud Græcos usque adeo mendaciis infames, ut eorum mentiendi libido in proverbium abiisset, quo Φοινικικὸν ψεῦσμα dictum est absurdissimum quodvis mendacium. Vix etiam dubium est, in hoc *Platonis* loco, ea voce significari fabulam fictam, ad imitationem veteris illius fabulæ Phœniciæ, qua homines e dentibus draconis, a Cadmo Phœnice satis, armati a terra emissi dicuntur. Certe mentio *Poëtarum* ostendit eum ad fabulam a Græcis Poëtis narratam spectasse, & Φοινικικὸν potius est *ad Phœnicum morem fictum*, quam Φοινίκιον, hoc est, *ad Phœnices pertinens*; & quod armati a *Platone* dicuntur viri prodiisse, id suadet eum respicere ad satos a Cadmo homines. Ita rem interpretatus est vir eruditus *Adrian. Junius*, in proverbiis, quæ cum Erasmianis edita sunt. Sed concedamus esse hanc etiam fabulam revera a Phœnicibus, & quidem a Poëtis Phœnicibus, narratam; an sequetur Judaïcam, aut veram Hebræorum a *Platone* spectari Historiam? Non video, cum Phœnices de initio humani generis, nonnulla,

la, longinquitate temporis, & mentiendi libidine corrupta, narrare Græcis æque potuerint, ac reliquæ Gentes. Constat sane Phœnices multas ejusmodi fabulas narrasse, si vere ex *Sanchoniathone* eas vertit *Philo Byblius*, quarum fragmenta habemus apud *Eusebium* Præp. Evang. Lib. I. c. 9. & 10. Re ipsa judicium hocce nostrum confirmatur.

Sic enim tandem fabulam suam narrare adgreditur *Plato*; Ἦσαν δὲ τότε τῇ ἀληθείᾳ ὑπὸ γῆς, ἐντὸς πλαττόμενοι καὶ τρεφόμενοι, καὶ αὐτοὶ καὶ τὰ ὅπλα αὐτῶν, καὶ ἡ ἄλλη σκευὴ, δημιουργούμενα· ἐπειδὴ δὲ παντελῶς ἐξειργασμένοι ἦσαν, καὶ ἡ γῆ αὐτοὺς μητὴρ οὖσα ἀνῆκε, καὶ νῦν δεῖ ὡς περὶ μητρὸς καὶ τροφοῦ τῆς χώρας, ἐν ᾗ εἰσὶ, βουλεύεσθαί τε καὶ ἀμύνειν αὐτοὺς, ἐάν τις ἐπ' αὐτὴν ἴῃ, καὶ ὑπὲρ τῶν ἄλλων πολιτῶν, ὡς ἀδελφῶν ὄντων καὶ γηγενῶν, διανοεῖσθαι: *Erant autem tunc re vera sub terra, intus formati, & educati cum ipsi, tum arma eorum & supellex omnis. Postquam vero omnino perfecti fuerunt, terra illos, ut mater, ad superos enixa est. Et nunc quidem, tamquam matri ac nutrici, regioni huic, in qua sunt, consulere debent atque succurrere, si quis eam invaserit; deque aliis civibus, quasi fratribus ac terra genitis, sentire.* Res ipsa, ut dixi, manifesto clamat Phœniciam hanc fabulam minime oportere Judæis acceptam ferri, quod pluribus ostendere nihil adtinet. Igitur merito is, cui fabula narratur,

tur, respondet: Οὐκ ἐτὶς πάλαι ᾐσχύνου τὸ ψεῦδος λέγειν: *non immerito dudum te pudebat mendacium dicere.* Sequuntur deinde alia fabulosa, quæ piget exscribere.

Hinc colligere est, summatim quidem facile esse dictu, memorari a *Platone* fabulam Phœniciam, qua ferebantur homines e terra orti, & qua ostendit se non fuisse ignarum Historiæ Sacræ; qualia jactantur ab iis quos *P. Ventidius*, in Dissertatione περὶ τοῦ λόγου, exscripsit; sed ubi ad adcuratius examen deventum est, nulla Hebraïcæ Historiæ adparent vestigia. Certe *Plato*, quo erat ingenio, si Judaïcam Historiam audivisset narrari, aut legisset, multo meliora de Deo & hominum origine docuisset; nec opus habuisset confugere ad ridiculam fabulam Phoeniciam, ut homines consanguineos esse demonstraret; sed dixisset omnes ex uno viro, unaque muliere ortum ducere. Quod non modo verum erat, sed multo facilius a Græcis admissum fuisset; quam armatas singulas gentes, e patriæ terræ specubus, in lucem emissas.

Proferunt denique loca *Platonis*, in quibus accepta refert nonnulla *Veteribus* quibusdam, quos esse volunt Hebræos. Sic in Philebo, non procul ab initio, οἱ μὲν, inquit, παλαιοὶ κρείττονες ἡμῶν, καὶ ἐγγυτέρω θεῶν οἰκοῦντες, ταύτην φήμην παρέδοσαν: *Veteres nobis meliores & propius Deos habitantes hanc famam tradiderunt.* Quæ vero illa est *fama?* Hæc, nimirum: *cum ea quæ semper dicuntur*

 *tur*

*tur esse constent ex uno & multis, finemque & infinitatem in se insitam habeant; oportere nos, rebus sic constitutis, semper unam ideam de omni re singulatim ponentes quærere, nos enim comperturos eam inesse;* & alia nescio quæ πρειήσματα metaphysica nullius pretii, de quibus ne somniando quidem umquam cogitarunt Veteres Hebræi. At cum viri docti viderent hic mentionem fieri *Unius*, *Infiniti* & *Multorum*, continuo existimarunt respici ad S. Trinitatem; quam numquam hic quæsivissent, si locum paullo adtentius legissent. Recte quoque fecisset *P. Ventidius*, si ex fide aliena hæc non protulisset, sed inspexisset ipsum *Platonem*. Si quidpiam simile admisissem, quos triumphos de me ageret?

Adducitur alter *Platonis* locus e Lib. IV. de Legibus, p. 600. Ed. Gen. Ficini, Θεὸς, ὥσπερ καὶ ὁ παλαιὸς λόγος, ἀρχήν τε καὶ τελευτὴν καὶ μέσα τῶν ὄντων ἁπάντων ἔχων εὐθεῖαν περαίνει κατὰ φύσιν περιπορευόμενος: *Deus, ut fert etiam antiquus sermo, initium & finem, & media omnium Entium habens recta absolvit, per naturam circumactus.* Vult *Justinus*, in Adhortatione ad Gentes p. 24. hæc Mosi deberi. Sed oportuisset ab eo proferri locum Mosis, in quo sit quidpiam simile. At non potuit, quia revera nihil ejusmodi exstat, proferturque hic a *Platone* sensus eorum, quæ a *Timæo* dicta erant de Anima mundi, quam Deus Opifex rerum, τῷ κόσμῳ μεσόθεν ἐξάψας ἐπάγαγεν, ἔξω, *mundi medio indidit, & extra eduxit.* Quamobrem obti-

obtinet *initium*, *finem*, & *medium*. Igitur nulla ratio est, cur παλαιὰς credamus esse Hebræos potius, quam antiquissimos Græcorum Philosophos; a quibus multa dici potuerant aut vera, aut veris proxima, seu ea accepissent a Majoribus, seu ipsi invenissent. Cur enim omnes populos fingamus fungos, per omnia, ac stipites fuisse, exceptis Hebræis?

Jure ergo *Lactantius* a *Platone* numquam auditos fuisse Judæos existimavit: (*) *Soleo*, inquit, *mirari quod, cum Pythagoras & postea Plato, amore indagandæ Veritatis accensi, ad Ægyptios, & Magos, & Persas usque penetrassent, ut earum gentium ritus & sacra cognoscerent (suspicabantur enim sapientiam in Religione versari) ad Judæos tamen non accesserint; penes quos tunc solus erat, & quo facilius ire potuissent.*

Sunt tamen multo plures & Judæi, & Christiani (neque enim verum dissimulabo) qui contenderint *Platoni* ignotos non fuisse Judæos, imo & multa suppeditasse, quibus Philosophiam suam exornavit At hæc eorum dicta nequaquam sunt testimonia hominum, qui quæ viderant aut a testibus æqualibus accepta narrent; sed judicia & conjecturæ Scriptorum *Platone*, non una ætate, recentiorum. Itaque non possunt majoris esse ponderis, quam rationes quibus nituntur; quæ si parum graves sunt, nulla causa est cur in iis judiciis, conjecturisve adquiescamus. Præterea sunt eorum Scriptorum, qui honorificum

(*) *Inst. Divin. Lib. IV. c. 2.*

cum atque utile ſibi ducebant *Platonem* videri Scriptoribus Sacris Hebræorum multa debuiſſe. Judæi, qui ita primi omnium loquuti ſunt, retundebant eo pacto ſuperbiam Philoſophorum Græcorum, qui ceteras gentes quaſi barbaras ſpernebant; quod immerito ab iis fiebat, ſi conſtaret Philoſophorum nobiliſſimum ea Judæis debere, quæ vulgo inveniſſe putabatur. Eadem opera adficiebant eos, qui *Platonem* magni faciebant, eorumque animos, Judaïſmo alioquin iniquiores, ſibi conciliabant; cum illis oſtenderunt *divinum Platonem*, ut vulgo vocabatur, ex fontibus Hebræorum rivulos in hortos ſuos derivaſſe. Legantur libri *Joſephi* contra *Apionem*, & liquebit olim hoc manibus, pedibusque egiſſe Judæos, ut oſtenderent Græcos fures eſſe, & quidem in eos fines quos commemoravi. Chriſtiani poſtea Scriptores, iisdem de rationibus, imitati ſunt Judæos.

Hæc ſi probe expendantur, ſatis firma, niſi fallor, videbuntur, ad evertendum quidquid colligi poteſt, hanc in rem, ex dictis Veterum Judæorum aut Chriſtianorum; qui an recte olim conjecerint, necne, parum nunc noſtra intereſt; cum Dei Opt. Maximi beneficio, non amplius ſubjaceamus imperio Ethnicorum, quorum animum ſibi conciliare neceſſe illi habebant; cumque exigua jam ſit *Platonis* aliorumve Philoſophorum Ethnicorum auctoritas. Attamen nonnulla hac de re proferam Veterum judicia, quæ ad examen revocabo.

Antiquiſſimum, quod nunc mihi occurrit, eſt

est *Aristobuli*, Philosophi Judæi qui vixit temporibus Ptolemæi Philometoris. Ejus verba profert *Eusebius* Præp. Evang. Lib. XIII. c. 12. quorum initium dumtaxat subjiciam: Φανερὸν, inquit, ὅτι κατηκολούθησεν ὁ Πλάτων τῇ καθ' ἡμᾶς Νομοθεσίᾳ καὶ φανερός ἐστι περιειργασμένος ἕκαστα τῶν ἐν αὐτῇ. Διηρμήνευται γὰρ πρὸ Δημητρίου τοῦ Φαληρέως, δι' ἑτέρων, πρὸ τῆς Ἀλεξάνδρου καὶ Περσῶν ἐπικρατήσεως, τά τε κατὰ τὴν ἐξαγωγὴν τὴν ἐξ Αἰγύπτου τῶν Ἑβραίων, ἡμετέρων δὲ πολιτῶν, καὶ ἡ τῶν γεγονότων ἁπάντων αὐτοῖς ἐπιφάνεια καὶ κράτησις τῆς χώρας καὶ τῆς ὅλης νομοθεσίας ἐπεξήγησις, ὡς εὔδηλον εἶναι τὸν προειρημένον Φιλόσοφον εἰληφέναι, πολλά· γέγονε γὰρ πολυμαθής, καθὼς καὶ Πυθαγόρας, πολλὰ τῶν παρ' ἡμῖν μετενέγκας εἰς τὴν ἑαυτοῦ δογματοποιΐαν κατεχώρισεν: *Constat Legum nostrarum instituta sequutum esse* Platonem, *& in singula eorum capita curiosius inquisivisse eum liquet. Nam etiam ante* Demetrium *illum* Phalereum, *adeoque ante* Alexandri *ac Persarum imperium, ea jam omnia Græce ab aliis conversa fuerant; quibus illa Hebræorum popularium nostrorum ex Ægypto eductio, & omnium quæ illis contigerunt ratio insignis, & occupatio regionis & totius legislationis expositio, ita ut manifestum sit memoratum Philosophum multa sumsisse. Fuit enim lectionis plurimæ, ut &* Pythagoras, *qui multa e nostris in sua dogmata transtulit.* At illius versionis nec vola,

vola, nec veſtigium ſupererat; nec in Hiſtoria translationis LXX. Interpretum ejus vel minima mentio. Quo mihi ſit credibile *Ariſtobulum* hoc finxiſſe, ut fidem ſibi faceret apud Lectores, illico quæſituros unde *Pythagoras* & *Plato* dogmata Hebræorum noſcere potuiſſent. Quamobrem recte *Auguſtinus*, de Civit. Dei Lib. VIII. c. 11. negat illum potuiſſe *Scripturas legere, quæ nondum fuerant in Græcam Linguam translatæ, qua ille pollebat*; at perperam, ut poſtea oſtendam, ſuſpicatur eum per interpretem cum Judæis egiſſe, in ſequentibus verbis: *niſi forte quia fuit acerrimi ſtudii, ſicut Ægyptias, ita & iſtas per Interpretem didicit, non ut ſcribendo transferret, quod Ptolemæus pro ingenti beneficio, qui regia poteſtate etiam timeri poterat, meruiſſe perhibetur; ſed ut colloquendo quid continerent, quantum capere poſſet, addiſceret.*

*Ariſtobulum* ſequutus eſt *Joſephus*, qui Lib. II. contra Apionem p. 1079. Ed. Gen. ita loquitur: *μάλιστα δὲ Πλάτων μεμίμηται τὸν ἡμέτερον νομοθέτην, κἀν τῷ μηδὲν οὕτω παίδευμα προστάττειν τοῖς πολίταις, ὡς τὸ πάντας ἀκριβῶς τοὺς νόμους ἐκμανθάνειν*: Plato *potiſſimum imitatus eſt noſtrum legislatorem, in hoc quoque quod civibus ſic præceperit, quam adcurate omnes leges diſcere.* Verum ſi quis dixerit *Platoni* hoc, aliaque idgenus in animum incidiſſe, cum res ſint minime abſtruſæ, aut excogitatu difficiles; æque veriſimilis hæc erit conjectura, ac *Joſephi* adfirmatio.

*Joſe-*

*Josephum* & *Aristobulum* subsequuti pariter sunt Scriptores multi Christiani, atque inter alios *Justinus*, *Clemens Alexandrinus* & *Eusebius*, qui similia habent, & primus quidem præsertim in Parænesi ad Gentes, alter vero Stromatum Lib. I. tertius denique Præpar. Evangelicæ Lib. XII. ubi multis hac de re agunt. Verum hi quoque judicium suum protulerunt, non rem a testibus fide dignis acceptam; aut potius, ut dixi, Judæos imitati sunt, iisdem de causis, propter quas a Judæis furti insimulatos esse Græcorum Philosophos ostendi.

Verum objecerit forte quispiam Scriptores nonnullos Ethnicos, quorum loco adfert *Clemens*; & primum quidem *Megasthenem* qui æqualis fuit Seleuco Nicatori & cujus hæc sunt verba e Libro III. Rerum Indicarum, apud *Clementem* Strom. Lib. I. p. 305. Ἅπαντα μέν τοι τὰ περὶ φύσεως εἰρημένα παρὰ τοῖς ἀρχαίοις λέγεται καὶ παρὰ τοῖς ἔξω τῆς Ἑλλάδος φιλοσοφοῦσι· τὰ μὲν παρ' Ινδοῖς ὑπὸ τῶν Βραχμάνων, τὰ δὲ ἐν τῇ Συρίᾳ ὑπὸ τῶν καλουμένων Ἰουδαίων: *Omnia quæ de natura dicta sunt a Veteribus, dicuntur etiam ab iis, qui extra Græciam philosophantur, partim quidem apud Indos a Brachmanibus, partim vero in Syria ab iis qui vocantur Judæi.* Verum non nego apud Judæos varia dogmata, atque instituta obtinuisse, quibus postea similia scripsit *Plato*; at contendo ea a *Platone*, antiquioribusve Philosophis, partim desumta ab Ægyptiis, aliisque populis; partim etiam inven-

inventa, aut a Socrate inventore accepta fuiſſe.

*Numenius* quidem Pythagoreus, cui Scripta Moſis innotuerant, hoc judicium de Platone tulerat: Τί γάρ ἐστι Πλάτων, ἢ Μωσῆς Ἀττικίζων; *Quid eſt enim Plato, niſi Moſes Attice loquens?* At hiſce verbis ſignificatur tantum conſenſus, variis in rebus; ex quo colligere non licet, a *Platone* lectum fuiſſe Moſem; cum, ut dixi, & ipſe nonnulla excogitare & ab Ægyptiis multa Moſaïcis ſimilia accipere potuerit.

Ut eum e Moſe, quæ habet paria, furatum eſſe conſtaret; quandoquidem, ut vidimus, teſtes fide digni nobis deſunt; oporteret oſtendi ejuſmodi eſſe, ut nec ab aliis quam a Judæis accipere, nec ipſe comminiſci ea potuerit, aut certe ita expreſſa eſſe, ut loquutiones Scripturæ manifeſto redolerent. Tu vero, L. CANDIDE diligenter, quæſo, legito *Juſtini* Paræneſin ad Gentes, *Clementis* Stromat. Lib. I. & *Euſebii* Librum XII. Præp. Evang. ubi congeſſere ea, quibus maxime cum Sacris Litteris conſentire *Platonem* credidere, iisque perlectis, niſi fatearis *Platonem* aut aliunde ea omnia diſcere potuiſſe, aut ipſum invenire; cauſam non dico, cur hancce meam Epiſtolam non abjicias, ut lectu indignam.

At meminiſſe te oportet primum, in antiquisſimo & florentisſimo Ægyptiorum regno, fuiſſe leges Hebraïcis adfines; ſeu eæ ſunt leges, ſine quibus nulla ſtare humana Societas poteſt, & quæ apud populos omnes excultos vi-

viguerunt, ſeu peculiares Ægyptiis & Hebræis; quod in Commentario meo in Pentateuchum ſæpe oſtendi. Secundo, mera ratiocinatione, contemplationeque operum divinorum multa a Socrate, *Platonis* Magiſtro, inventa fuiſſe Moſaïcis conſentanea; ut liquet ex *Memorabilibus Socratis*, a *Xenophonte* collectis.

Tertio, antiquas leges Atticas nonnulla habuiſſe ſimilia Ægyptiacis, ſeu ea Athenienſes partim accepiſſent a Cecrope Ægyptio, ſeu alia quapiam via; quod non raro obſervavi ad Leges Moſaïcas poſt viros doctiſſimos, qui de Jure Attico egere. Primas quidem merito, inter omnes Leges, exceptis Legibus Evangelicis, tribuimus Moſaïcæ νομοθεσίᾳ, nec Ethnicorum inſtituta cum ea ulla ratione æquiparanda cenſemus; ſed tamen non paſſus eſt Deus ita rectam Rationem, apud reliquos omnes homines, exſtingui, nihil ut experientia, & ratiocinando inveniri uſpiam poſſet; verum omnes, niſi deſipere vellent, neceſſe haberent Moſaïca Scripta expilare, aut inſtituta imitari. Talia ſomniare nemo poſſit, niſi cui Græcorum & Latinorum monumenta ac ingenia, ne jam Orientales populos memorem, plane ignota fuerint. Vitia legum Ethnicarum nec tueor, nec excuſo; ſed ſine dubio plurima complectuntur ſapienter ſancita, quæ tamen Legislatorum ſoli prudentiæ debentur. Horum ſi memor fueris, confido fore ut nihil invenias quod a *Platone* ex Hebræis adumbratum eſſe videatur. Quod ſi eſſet mihi ſingillatim de-

monſtrandum, juſtum hac ſola de re conſcribendum eſſet volumen, nedum ut brevis Epiſtolæ finibus coërceri queat.

At unum dogma eſt, quod præ ceteris ex Scriptura deductum eſſe contendunt *Euſebius*, aliique; id, nimirum, quod ſpectat τρεῖς ὑποστάσεις ἀρχικὰς, *tres ſubſtantias, quæ ſunt omnium rerum principia.* Quod dogma ſolet ad *Platonem*, quaſi ad potiſſimum auctorem, apud Ethnicos, referri, quod diſtinctius de eo ſcripſerit; nam *Parmenidis* quidem, a quo creditum docet *Plotinus* Ennead. V. c. 8. nihil exſtat præter fragmenta obſcuriſſima; Pythagoræ vero ne littera quidem ulla, nam ſymbola illa αἰνιγματώδη, quæ ſuperſunt, utrum ſint ipſius, vel ejus diſcipulorum non conſtat; ceteræque doctrinæ ejus reliquiæ non unam capiunt ſententiam. At viri docti contendunt memorati dogmatis originem eſſe altius repetendam. Qua de re vir eruditiſſimus *Rod. Cudworthus* in Anglico Opere, quod *Syſtema Intellectuale Rerum Univerſitatis* inſcripſit, (*) his verbis loquitur: *Nunc vero quandoquidem non ſatis intelligi queat quî ejuſmodi Trinitas divinarum Hypoſtaſeon primum inveniri potuerit ſolo ingenio humano, & Ratione; quamvis nihil ei inſit, ſi modo recte tntelligatur, quod Rationi repugnet; & quandoquidem ſunt in antiquis Scriptis Veteris Teſtamenti certa indicia pluralitatis in Deitate, vel plurium Hypoſtaſeon; colligere me-*

(*) *Lib. I. C. 4. p. 547.*

*merito possumus quod Proclus adfirmat de Trinitate, quemadmodum exprimitur in Chældaïcis Oraculis, id esse verum; nimirum, fuisse θεοπαράδοτον θεολογίαν, divinitus traditam Theologiam, vel divinam Cabalam, inter Hebræos primum, deinde ab illis communicatam cum Ægyptiis atque aliis gentibus.* Ego vero, quod cum pace viri eruditissimi & cujus Scripta magni facio, dictum sit, non puto usquam in Vetere Testamento indicium esse ullum plurium numero substantiarum divinarum, quales somniabat *Plato*, & quales Patres credidere. Certe cum omnia loca, quæ huc trahi possent, expendo, nullum invenio, ex quo tres substantiæ divinæ colligi queant. An tale quid viderit *P. Ventidius* ignoro, at cum protulisset hæc & plura *Cudworthi* verba, non sine elogio Operis, debuisset clarius mentem suam exprimere. Nam si *Plato* credidit tres esse divinas substantias, sique hanc suam sententiam ex Vetere Testamento, aut ipse per se, aut per alios, hausit, ut vult *Cudworthus*; oportet omnes ferme Christianos nunc in gravi errore versari, qui, quamvis Trinitatis Personarum patroni, acerrime contendunt, & quidem merito, unicam esse numero divinam substantiam. Non puto *Ventidium* tantum tribuere Antiquitati, ut, quemadmodum fecit *Cudworthus*, vir ceteroqui laudibus in eum collatis dignissimus, propter ejus auctoritatem, Platonicum Tritheïsmum admittere sustineat. Quod si ita est, cur nobis fingit *Pythagoram*, & *Platonem* hausisse hoc suum dogma ex Scriptis Hebræorum,

qui unitatis numericæ Numinis vehementer semper propugnatores fuere? Nescio etiam an satis noverit *Ventidius* quodnam sit eruditissimi *Cudworthi* institutum, in eo Capite *Systematis Intellectualis*; quod eo spectat ut ostendat ab universa Antiquitate creditas esse tres pares substantias divinas. Si minus intellexit, non satis prudenter fecit, cum testem adduxit testimonium contra se dicturum. Si intellexit, non minus imprudenter se gessit, cum nobis fucum facere se posse existimarit, proferendo verba; quæ, si quid probant, ostendunt Tritheïsmum Veteri Testamento originem debere.

Sed ut ad *Platonem*, ceterosque Philosophos, qui ei forte præiverunt, redeam; non video cur revelatione indiguerint, ad constituenda tria illa Principia; ut jam omittam falsitatem ejus sententiæ, quæ cum vera revelatione consistere nequit. Sola ratiocinatione, conjuncta cum divinorum Operum contemplatione, potuerunt intelligere τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ, hoc est, esse quampiam intelligentem Naturam, eamque perfectissimam, quæ omnia fecerit, & omnia regat, aut per se, aut per alium, imo vero intellexerunt, ut liquet ex sermonibus Socratis apud *Xenophontem*, aliisque ejusmodi. Cum vero viderent Mundi Opificem non temere, & fortuito, sed summa ratione omnia fecisse, generaque singula omnium rerum, pro suis quæque naturis, sine mutatione, conservari ac propagari; hinc collegit *Plato*, post alios, esse & alte-

alteram substantiam divinam primæ illi proximam, quæ vocaretur *Ratio seu* λόγος, quæ complecteretur æterna atque immutabilia exemplaria omnium rerum, & per quam singula essent facta. Nec dixeris *Rationem* illam fuisse perfectionem Dei, non substantiam singulari exsistentia præditam; nam *Plato* (rectene an secus, nunc non quærimus) ita ratiocinatus est *Rationem*, quam & *Ideam* vocat, descripsit quasi substantiam; qua in re præivit *Platoni Timæus*, qui *Ideam* distinguit a Deo, & substantiam seorsim exsistentem habet, initio Operis sui. Ait enim duas esse caussas summas *Deum* & *Necessitatem*, & ad hanc quidem referri *Ideam* & *Materiam*, quasi συναίτια *caussas una* cum Deo. Tum *Ideam* docet esse quidpiam ἀγέννατόν τε καὶ ἀκίνατον, καὶ μένον τε καὶ τᾶς ταυτῶ (leg. ταυτᾶς) φύσιος, νοατόν τε καὶ παράδειγμα τῶν γεννωμένων, ὁκόσα ἐν μεταβολᾷ ἐντί. *ingenitum, & immotum & manens & ejusdem naturæ, ac intelligibile exemplar genitorum omnium quæ in mutatione sunt.* Græca hujus loci adtente legenda, nam non modo *Joan. Serranus*, sed ne *Marsilius* quidem *Ficinus*, multo eruditior ea adsequutus est. Attamen non indigna sunt quæ legantur quæ *Serranus* collegit de Ideis, in argumento *Parmenidis* Platonici Dialogi. Deinde cum animadverteret *Plato* animalia & plantas, per omnes terras, mirum in modum nasci, augescere, vegetari; hinc, post *Timæum*, collegit a *Ratione* divina esse Mun-

do *Animam* inditam, cujus vi omnia illa fierent, & totius Mundi machina ageretur. Quamobrem etiam Mundum *Animal* & *Deum* esse dixit.

Hæc distinctius verbis ipsis *Platonis* probabo, & cum de summo Deo nulla moveatur controversia, de secundo, seu Λόγῳ primum videndum. Sic ergo de hoc loquitur in Timæo, ubi de Creatione Mundi, p. 528. C. Ed. Gen. Οὗτος δὴ πᾶς ὄντως ἀεὶ Λογισμὸς Θεοῦ περὶ τὸν ποτὲ ἐσόμενον Θεὸν λογισθεὶς λεῖον καὶ ὁμαλὸν, πανταχῇ τε ἐκ μέσου ἴσον, καὶ ὅλον καὶ τέλεον ἐκ τελέων σωμάτων σῶμα ἐποίησε: *Hic ergo, qui revera semper est omnis Ratiocinatio Dei, de futuro Deo ratiocinatus, lævem eum effecit, æqualemque & undique a medio parem, ac totum & perfectum corpus e perfectis corporibus.* In Epinomide vero p. 702. G. memorato Mundo, illico subjicit: ὃν ἔταξε Λόγος ὁ πάντων θειότατος ὁρατόν: *quem fecit Ratio omnium divinissima conspicuum.* Quem Λόγον & Λογισμὸν hic vocat *Plato* recentiores Platonici solent etiam vocare Νοῦν, *mentem*, quia Λόγος, substantiam ratiocinantem sonat, seu mentem. Vide, si vacat, *Plotinum* Ennead. V. Lib. I. Capp. 3. & 4. Ait *Plato* Mentem hanc esse *omnium divinissimam*, quia alias Mentes seu Λόγους esse putabat, inferiores Deos. Non addam quæ habet de *Idea*, quod est alterum nomen τοῦ Λόγου, quia nemo nunc somniarit quod de *Idea* scripsit *Plato* id ex Vetere

Testamento esse desumtum. Adi, si vacat, quæ hac de re præfixit *Serranus Parmenidi* & Lib. VI. *de Republica*, ubi paucis mentem *Platonis* explicat.

Quæsiverim nunc a Theologis paullo adcuratioribus, an propterea possit *Plato* censeri desumsisse quæ habet de *Ratione*, aut *Mente*, ex Scriptura; dumtaxat quia Moses, & alii Scriptores Sacri inducunt Deum omnia facientem διὰ λόγου, hoc est, ῥήματος, *per verbum*, ut describant maximam ejus potentiam & spiritualem agendi rationem, quam vocis imperio exprimunt? Non potest sane adfirmari, nisi a ludentibus ambiguitate vocis Λόγος, quæ Græce & *rationem* & *sermonem* sonat Quod tamen fecit *Eusebius* Cap. 14. Lib. XI. Præpar. Evangelicæ, nimia cupiditate trahendi ad partes Christianorum insignis Philosophi.

Audiamus tandem quæ habeat, de tertio Principio, seu *Anima Mundi*, de qua sic loquitur in Timæo, p. 528. C. ubi postquam descripsit corpus rotundum Mundi, ita pergit: Διὰ πάντα δὴ ταῦτα εὐδαίμονα Θεὸν αὐτὸν ἐγεννήσατο. τὴν δὲ δὴ ψυχὴν οὐχ ὡς νῦν ὑστέραν ἐπιχειροῦμεν λέγειν, οὕτως ἐμηχανήσατο καὶ ὁ Θεὸς νεοτέραν. οὐ γὰρ ἂν ἄρχεσθαι πρεσβύτερον ὑπὸ νεωτέρου συνέρξας εἴασεν. ἀλλά πως ἡμεῖς πολὺ μετέχοντες τοῦ προστυχόντος τε καὶ εἰκῆ, ταύτῃ πῃ καὶ λέγομεν. *Omnibus hisce de causis beatum eum Deum genuit. Animam vero, non ut nunc adgredimur dicere posteriorem,*

*rem, sic & Deus fecit juniorem; neque enim qui hæc conjunxit parere juniori antiquius permisisset, sed nos, ut pote multum fortunæ & casus participes, temere etiam & sine ordine dicimus.* Mira profecto est hæc excusatio perturbati in loquendo ordinis, sed tamen, ut opinor, vera. At ad institutum meum rei examen non pertinet. Itaque pergam recitare verba *Platonis*, de ratione qua Anima Mundi creata est: Ὁ δὲ καὶ γενέσει καὶ ἀρετῇ προτέραν καὶ πρεσβυτέραν ψυχὴν σώματος, ὡς δεσπότιν, καὶ ἄρξουσαν ἀρξομένου συνεστήσατο, ἐκ τῶνδε καὶ τοιῷδε τρόπῳ τῆς ἀμερίστου καὶ ἀεὶ κατὰ τ' αὐτὰ ἐχούσης οὐσίας, καὶ τῆς αὖ περὶ τὰ σώματα γιγνομένης μεριστῆς, τρίτον ἐξ ἀμφοῖν ἐν μέσῳ συνεκεράσατο οὐσίας εἶδος, τῆς τε τ'αυτοῦ φύσεως αὖ πέρι καὶ τῆς τοῦ ἑτέρου, καὶ κατὰ τ'αὐτὰ ξυνέστησεν ἐν μέσῳ τοῦ τε ἀμεροῦς αὐτῶν, καὶ τοῦ κατὰ τὰ σώματα μεριστοῦ· καὶ τρία λαβὼν αὖ τὰ ὄντα συνεκεράσατο εἰς μίαν πάντα ἰδέαν, τὴν θατέρου φύσιν δύσμικτον οὖσαν εἰς τ'αυτὸ ξυναρμόττων βίᾳ: *Ille vero & generatione & virtute priorem Animam Corpore, quasi dominam & imperaturam parenti constituit, ex his, videlicet, atque hoc modo. Ex substantia individua & quæ semper eadem ratione se habet, & ea rursus quæ in corporibus dividua est, tertiam ex ambabus mediam commiscuit substantiæ speciem, quæ esset ejusdem naturæ & alterius; eamque sic mediam constituit, inter eam illarum quæ*

*individua est, & eam quæ in corporibus est dividua. Cumque tria sumsisset quæ erant, omnia miscuit in unam speciem, ejus quod alterum diximus naturam vix miscendam, cum eo, quod idem dicitur, vi conjungens.* Postea tradit arithmeticas nescio quas rationes, secundum quas tria miscuit; quas ex ipso petas licet.

Si *Plato* Trinitatem ex Scriptura Sacra Veteris Testamenti desumsit, ex ea quoque statuendus est hanc tertiæ Substantiæ descriptionem hausisse, quam mihi quidem ostendi cupiverim, in quopiam Veteris Testamenti loco; nam hactenus in eo nihil simile animadvertere potui. Non opus est etiam me dicere notionem hanc Animæ Mundi creatæ, & constantis mistura substantiæ immutabilis & corporeæ, longe distare ab eo quod Christiani de Spiritu Sancto omnes credunt; res enim est manifesta. Nemo non videt describi, non quod nos Spiritum Sanctum vocamus, sed vim quamdam omnia fœcundantem, ac vegetantem, quam *Virgilius* Æn. VI, 724. sic pinxit:

*Principio cœlum ac terras, camposque liquentes,*
*Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque astra*
*Spiritus intus alit, totamque infusa per artus*
*Mens agitat molem & magno se corpore miscet.*
*Inde hominum, pecudumque genus, vitæque volantum,*

*Et quæ marmoreo fert monſtra ſub æquore pontus.*

Attamen Veteres, nimio Platonicæ Philoſophiæ amore capti, hic invenerunt Spiritum Sanctum; nam quamvis *Euſebius* adgreſſus non ſit oſtendere, ſingulari Capite, *Platonem* idem ſenſiſſe ac Chriſtianos περὶ τρίτου αἰτίου, ut de primo, & ſecundo; attamen Cap. XX. Lib. XI. Præp. Evang. περὶ τριῶν ἀρχικῶν ὑποστάσεων, *de tribus ſubſtantiis quæ Principia ſunt*, agens, prolato de iis loco *Platonis* ex Epiſtola ad *Dionyſium*, ita loquitur: Ταῦτα οἱ τὸν Πλάτωνα διασαφεῖν πειρώμενοι ἐπὶ τὸν πρῶτον Θεὸν ἀνάγουσι, ἐπί τε τὸ δεύτερον αἴτιον, καὶ τρίτον τὴν τοῦ κόσμου ψυχὴν, Θεὸν τρίτον καὶ αὐτὴν ὁριζόμενοι εἶναι· οἱ δέ γε θεῖοι λόγοι τὴν ἁγίαν καὶ μακαρίαν τριάδα Πατρὸς καὶ Υἱοῦ καὶ ἁγίου Πνεύματος ἐν ἀρχῆς λόγῳ τάττουσι: *Hæc qui conati ſunt Platonem elucidare ad primum Deum referunt, & ad ſecundam Cauſam, & ad tertiam hanc Mundi animam, Deum tertium eſſe definientes. Divini vero libri ſanctam & beatam Trinitatem Patris & Filii & Sancti Spiritus principii rationem habere ſtatuunt.*

At tenuis ſimilitudo, quæ inter Principia tria, ſeu tres Deos ſummos *Platonis*, prima fronte, eſſe videtur non debuit ita animum *Euſebii* aliorumque adficere; ut illico ſe Trinitatem Chriſtianam Patris, Filii & Spiritus Sancti in ejus verbis agnoſcere profiterentur; ac

ac proinde hoc ejus dogma contenderent ex Vetere Testamento desumtum ab eo fuisse. Sensit hoc partim *Cyrillus Alexandrinus*, qui Principiorum Platonicorum inæqualitatem pugnare cum τῇ ὁμοουσίᾳ recte animadvertit, Lib. VIII. contra Julianum. Scio virum doctissimum, cujus Anglicum Opus antea laudavimus, ex *Plotino* aliam sententiam *Platonis* verbis adscribere, & duas Animas Mundi proferre; quarum altera sit ὑπερκόσμιος, & consubstantialis summo Deo, adeoque æterna, de qua *Plato* siluerit; altera vero ἐγκόσμιος & creata, de qua Philosophus. Sed *Plotino* tot sæculis post *Platonem* nato, nec alia ejus Scripta proferenti, quam quæ habemus; de *Platonis* genuina sententia, non magis crediderim, quam Monachis VII. Sæculi, de dogmatibus Christi & Apostolorum. Nam quo jure *Plotini* Metaphysicæ meditationes haberi possunt supplementa indubitata eorum quæ *Plato* cogitavit, etiam ubi *Platonis* orationi nihil deest; potius quam quæ Novo Testamento addiderunt VII. Sæculi Monachi? Imo vero *Plotini* figmenta suspecta habeamus necesse est, si meminerimus *Platonis Timæum* esse dumtaxat prolixiorem explicationem libri *Timæi* Locri; in quorum duplicis illius Animæ Mundi ne minimum quidem vestigium est.

Qui volunt priscam illam doctrinam, de tribus Causis, vel Principiis omnium rerum, ad *Parmenidem*, *Pythagoramque* referri, potius quam ad *Platonem*, iisdem premuntur in-

incommodis, quibus ii qui a *Platone* e Vetere Teſtamento hauſtam eſſe contendunt. Cum enim eam ex ſolo *Platone* perſpicue cognoscere liceat, cumque manifeſtum ſit in Vetere Teſtamento nuſquam exſtare ei quod ex *Platone* protuli quidquam ſimile; nemo etiam dixerit ea a Pythagoricis ex Libris Sacris depromta.

At mentio fit, inquies, in Vetere Teſtamento, *Dei* boni, *Sapientiæque* & *Spiritus* ejus, ex quibus collegerunt tres eſſe ſummos Deos, qui poſſent vocari *Bonum*, *Ratio* & *Anima Mundi*. At ſuntne hæc usque adeo ſimilia, ut qui poſterius dicat neceſſe ſit eum Vetus Teſtamentum legiſſe? Non puto; aut omnia, quæ aliquatenus ſunt ſimilia, erunt confundenda. De ejuſmodi errore, ex ſimilitudine orto, egi *Criticæ* P. 2. S. 1. C. 15. ubi diverſarum Sectarum ſermone ſimili diſſimilia ſæpe ſignificari oſtendi, nec repetam quæ dixi.

Minus etiam probabile eſt quod habet *Plato* de hominum Creatione & prima ætate, ſeu in Convivio, ſeu in Politico, Judæis deberi; propter multas abſurdas circumſtantias, quæ tenui Veritatis umbræ miſcentur. In Convivio enim deſcribit hominem ἀνδρόγυνον, hoc eſt, virum cum muliere, poſticis partibus conjunctum: ac poſtea a Deo, quod æquo ſuperbior eſſet, diviſum. In Politico vero, memorat neſcio quas periodos, quibus Orbis renovatus ſæpe fuerit, & quarum ſingularum initio homines ex humo, plantarum inſtar, renati fuerint. Quæ ſi paullo adten-

tentius legantur, intelligentur esse partim fabulæ Græcanæ, quibus nonnihil Veritatis Historicæ admistum est, ut plerumque solet; partim figmenta *Platonis* fabulas illas ornantis, novis mendaciis, aut etiam quærentis rationem priscarum illarum fabularum, eamque ex conjectura proferentis. Non est ideo tantum, quia *Plato* dicit homines aliquando ortos, & quidem ex *terra*, quamvis ceteræ circumstantiæ cum Mosaïcis minime consentiant, continuo judicandum eum hæc Judæis debuisse. Quare enim, apud Græcos, non superfuerint antiquissimæ famæ nonnulla, ut ita dicam, ἀπηχήματα, inter innumeras falsas narrationes? Quare etiam censeamus *Platonem* quæ a Judæis acceperat de rerum creatione, non modo rectæ Rationi consentanea, sed etiam credibilia, absurdis & incredibilibus fabulis corrupisse, ut ab omnibus rejicerentur? Multo credibilius est quod ipse dicit in Politico, illa, ut alia quæ de regno Saturni jactabantur, esse petita ἐκ τῶν πάλαι λεχθέντων *ex olim narratis*, & de quibus postea dicit: διὰ δὲ χρόνου πλῆθος τὰ μὲν αὐτῶν ἀπέσβηκε, τὰ δὲ διεσπαρμένα εἴρηται χωρὶς ἕκαστα ἀπ' ἀλλήλων, *longinquitate temporis, alia eorum exstincta sunt, alia dispersa dicta sejunctim ab aliis.* Quibus addere debuit imperitiam narrantium & audientium, mentiendique libidinem; quæ veris Historiis innumera mendacia admiscuerunt.

Verum & alterum suppetit nobis argumentum, ex quo licet colligere neque *Pythago-*

*ram*,

*ram*, neque *Platonem* ex Libris Sacris Veteris Teſtamenti, aut ex ſermonibus Judæorum quidquam, ad Theologiam quod adtinet, eſſe mutuatos. Petitum id eſt ex Libro *Timæi* Locri, atque ex ipſius *Platonis Timæo*. Pythagoricus Locrus, de Mundi Creatione acturus, non modo nullam cujuſquam auctoritatem profert; ſed philoſophice, pro more ejus ſectæ, ratiocinatur a capite ad calcem Opuſculi; nec quidquam habet, quod Moſaïcam creationem redoleat. Similis eſt *Platonis* interpretatio, quam liquet eſſe veluti prolixiorem paraphraſin Opuſculi Locri Philoſophi; a quo totus pendet, & cui ratiocinationes ſuas addit. Nuſquam ex Moſe ſapit, aut emendat Pythagoricum Philoſophum. Hoc unum illis eſt commune cum Moſe, quod Deum eſſe & omnia ab eo creata ſtatuant; ſed creationis ratio apud illos ſimile nihil habet. Quod ſi rem a Judæis accepiſſent, una cum re, etiam rationem qua facta eſt, audiviſſent, ſuiſque Scriptis inſeruiſſent; neque enim credibile eſt, re tanta audita, homines φιληκόυς & barbaricorum dogmatum curioſos nihil aliud quæſiviſſe. Crediderim ergo eos quidem partim ex ratiocinatione, partim ex conſenſu antiquiſſimarum Orientis gentium, accepiſſe eſſe Numen a quo omnia procreata ſint; omnes vero rei circumſtantias ab iis excogitatas.

Certe *Plato* hæc omnia inducit *Timæum* proferentem, non quaſi accepta ab aliis, ſed quaſi eruditionis ſuæ fœtum. Quod paucis demonſtraſſe præter rem non erit. Sic ergo Critias loqui-

loquitur, ut loquendi partes in *Timæum* transferat: Ἔδοξε ἡμῖν Τίμαιον μὲν, ἅπε ἀςρονομικώτατον ἡμῶν, καὶ περὶ φύσεως τοῦ παντὸς εἰδέναι μάλιςα ἔργον πεποιημένον, πρῶτον λέγειν ἀρχόμενον ἀπὸ τῆς τοῦ κόσμου γενέσεως, τελευτῶντα ᾗ εἰς ἀνθρώπων φύσιν: *Visum est nobis Timæum, quippe nostrum Astronomiæ peritissimum, & qui potissimum operam dederit ut cognosceret Universi naturam, primum dicere exorsum a creatione mundi, & desinere in naturam humanam.* Debuisset dicere, si barbaricam hic quoque narrationem traditurus erat, ejus peritissimum fuisse *Timæum*. Sic historiolam, quæ antecessit de Atlantica Insula, palam profitetur Ægyptiis auctoribus deberi.

*Timæus* deinde ita rem adgreditur, ut suas eum, *Platone* judice, conjecturas proferre liqueat: ἐὰν οὖν, inquit, πολλὰ πολλῶν εἰπόντων περὶ θεῶν καὶ τῆς τοῦ παντὸς γενέσεως, μὴ δυνατοὶ γιγνώμεθα πάντη πάντως ἂν τοὺς αὐτοὺς αὐτοῖς ὁμολογουμένους καὶ ἀπηκριβωμένους λόγους ἀποδοῦναι, μὴ θαυμάσῃς, ἀλλ' ἐὰν ἄρα μηδενὸς ἧττον παρεχόμεθα εἰκότας, ἀγαπᾷν χρή· μεμνημένον ὡς ὁ λέγων, ὑμεῖς τε οἱ κριταὶ φύσιν ἀνθρώπινον ἔχομεν. ὥςε περὶ τούτων τὸν εἰκότα μῦθον ἀποδεχομένους πρέπει μηδὲν ἔτι πέρα ζητεῖν: *Si ergo, cum multi multa de Diis, & Universitatis creatione dixerint, non possimus per omnia rationes eorum consentientes & adcuratas* red-

*reddere, ne mireris. At ſi certe non minus veriſimiles quam quiſquam alius, contentum te eſſe oportet; memorem & me qui dico & vos, qui eſtis judices, humanam habere naturam. Itaque ſi de hiſce veriſimilem fabulam acceperitis, decet vos nihil amplius quærere.* Quiſquis ita loquentem inducit credidiſſe profecto non videtur *Timæi* orationem complecti θεοπαραδότων θεολογίαν, quod exiſtimavit poſtea *Proclus.* Ac ſane *Timæus* ipſe, ne verbulo quidem, innuit ſe ulli debere quod ait de Deo, deque rerum Univerſitatis creatione, ſed ita dumtaxat orditur: Τίμαιος ὁ Λοκρὸς τάδε ἔφα: *Timæus Locrus hæc dixit.*

Scio *Juſtinum Martyrem*, in Adhortatione ad Gentes p. 24. & ſeqq. velle *Platonem* φόβῳ τοῦ κωνείου, *metu cicutæ*, quam propinatam noverat Socrati, quaſi impio, non modo ſubinde loqui cum Vulgo; ſed etiam in *Timæo*, veluti ex ſua ipſius ſententia, proferre, quæ ab Hebræis acceperat. Verum id quod de *Timæo* modo dicebamus oſtendit *Juſtinum* errare; nec minus periculoſum erat ea quaſi a ſe inventa proferre, quæ contraria habebantur Religioni publice inſtitutæ, imo periculoſius; quam narrare quid Syriæ quidam populus, Athenienſibus ignotus, hac de re ſentiret. Narrare enim licebat etiam quæ publice improbabantur, ſed non quaſi a ſe inventa in vulgus edere, ut aliis perſuaderentur.

Hæc ſi penſites, L. CANDIDE, facile, niſi fallor, mihi concedes non videri *Platonem*

*nem* umquam consuluisse Libros Sacros Hebræorum, aut Judæos adiisse; quamvis aliter senserint olim multi Patres, qui *Aristobuli* & *Josephi* aliorumque fortasse priscorum Judæorum conjecturis nimis facilem adsensum præbuerunt. Sollemne, nimirum, illis fere erat, si quis quidpiam dixisset, quod aptum videretur ad adliciendos Ethnicos ad fidem Christianam, id sine examine exscribere; nec consensus eorum, hac in re, quidquam aliud probat, nisi æque cupidos fuisse lucrifaciendi Christo eos qui *Platonem*, aliosve Philosophos magni faciebant. Quod eo credibilius, hoc in negotio, videbitur, quod dum *Platonem* ad se traherent, objectiones omnes, quæ in S. Trinitatem fieri ab Ethnicis poterant, retunderent; tanta enim erat *Platonis* fama & auctoritas, ut acutissimi viri cum illo propemodum errare mallent, quam verum cum aliis dicere. Tu vero, CANDIDE VERE, hæc omnia, pro tuo acumine tuaque eruditione, expendes, & quid judices mihi significabis. Vale.

*Dabam Amstelodami a. d. VII. Idus Julias,*

cIↃ IↃ c xcix.

# EPISTOLA VIII.

Philonem *Platonicæ Philoſophiæ fuiſſe addictiſſimum*, *cujus decreta in Scriptura Sacra poſtea quæſivit; cum in aliis rebus, tum etiam quod adtinet ad Dei Rationem. Fuiſſe eum in ſententia de tribus Principiis, quæ Arianæ propior eſt, quam noſtræ. Voci* Λόγος *non ſubjeciſſe ſignificatum* Sermonis, *ſed* Rationis. *Per totam Epiſtolam confutatur* P. Ventidius.

## EIDEM S. P. D.

## JOANNES CLERICUS.

CONJECI Joannem Apoſtolum, in iis quæ de *Ratione* habet, initio Evangelii ſui, non ad Moſem, aut alium Veteris Teſtamenti Scriptorem, ſed ad *Philonem* Alexandrinum reſpexiſſe; nec obſcure indicavi quæ de *Ratione* Divina ſcripſit *Philo*, ea ex priſcis Philoſophis Ethnicis, ac præſertim ex *Platone* hauſta ab eo fuiſſe. Dubium quidem eſſe non poteſt, an *Plato* ſimilia dixerit ac poſtea *Philo*, ſi conferatur quod in antecedente ad te Epiſtola, L. CANDIDE, ex *Platone* exſcripſi, vel cum ſolo libro *Philonis* περὶ κοσμοποιίας, aut ſi comparentur quæ ex utroque habet *Euſebius* Præp. Evang. Lib. XI. capp.

capp. 15. & 16. Nec a quoquam negatur, quem equidem noverim. Sed *P. Ventidius* negat *Philonem* ea ex *Platone* hausisse, contenditque ex Veteris Testamenti Libris ab eo esse derivata. Ego vero existimo *Philonem* in Scriptura quæsivisse quæ antea in *Platone* legerat; nec de iis umquam cogitaturum fuisse, si solum Vetus Testamentum legisset.

Ut intelligere possis ab utra parte stet Veritas, ante omnia ostendam *Philonem* Platonicæ Philosophiæ, quoad licuit per Judaïcam Religionem, imo & aliquanto plusquam fas erat addictum fuisse. Eadem opera manifestum fiet eum detorsisse Scripturam ad eam Philosophiam, violentis interpretationibus; cum in aliis rebus, tum etiam quod adtinet ad *Rationem* Divinam, sive Λόγον. Paucis deinde quæram an verisimile sit *Philonem* respicere ad usum Christianorum, aut Cabbalistarum, vel Chaldæorum Paraphrastarum. Cum vero *P. Ventidius* me malæ fidei in proferendo *Philonis* testimonio insimularit, optima fide a me fuisse prolatum; ac tandem apud eum voce Λόγος non significari *Sermonem*, aut *Verbum*, sed *Rationem*, eamque summo Deo minorem demonstrabo.

Quamvis *Philo* non unum legisset Philosophum, ut liquet ex iis quos laudat; attamen præ ceteris gavisus est *Platone*, cujus stylum ubique, & dogmata non raro expressit. Quod adeo liquet iis qui *Philonem* legunt, ut res ferme in Proverbium abierit. *Hieronymus* in Catal. Scriptorum Ecclesiasticorum: *De hoc*

*vulgo, apud Græcos, dicitur:* ἢ Πλάτων φιλωνίζει, ἢ Φίλων πλατωνίζει, *id est, aut Plato Philonem sequitur, aut Philo Platonem; tanta est similitudo sensuum & eloquii.* Quod proverbium exstat etiam apud *Isidorum* Pelusiotam, *Suidam* & *Photium.* Quamobrem mirari subit virum eruditum, qui olim Genevæ, (*) anno cIↄ Iↄc xiii. præfationem *Philoni* præfixit, maluisse *Philonem* esse *Eclecticum*, quam Platonicum. Sed est res magis particulatim probanda.

*Atticus* Platonicus, apud *Eusebium* Præp. Evang. Lib. XV. c. 13. contendit nihil esse insignius in universa Platonica Philosophia, quam doctrinam de ideis: τὸ κεφάλαιον, inquit, καὶ τὸ κῦρος τῆς Πλάτωνος αἱρέσεως ἡ περὶ τῶν νοητῶν διάταξις: *caput & cardo Platonicæ Sectæ est doctrina de rebus intelligibilibus;* quam contumeliose traductam queritur ab *Aristotele*, ideas Platonicas irridente. Paullo post: τὸ μὲν οὖν ἄκρον τε καὶ ἔσχατον τῶν Πλάτωνος φιλοσοφημάτων ἐστὶ τὸ περὶ τὴν νοητὴν ταύτην καὶ ἀΐδιον οὐσίαν τὴν τῶν ἰδεῶν: *Summum illud atque ultimum est Platonicorum dogmatum, quod circa intelligibilem hanc & æternam naturam idearum versatur.* Igitur si *Philonem* ostenderimus acrem fuisse Idearum patronum, non erit amplius cur negetur Platonicus fuisse. Id autem illico liquebit legenti Librum *de Mundi Opificio*, ubi non procul ab initio p. 3. Ed. Gen. Deum creationem mun-

(*) *Ea Editione hic usus sum.*

mundi molientem sic describit: Προλαβὼν ὁ Θεὸς, ἅτε Θεὸς, ὅτι μίμημα καλὸν οὐκ ἄν ποτε γένοιτο καλοῦ δίχα παραδείγματος, οὐδέ τι τῶν αἰσθητῶν ἀνυπαίτιον, ὃ μὴ πρὸς ἀρχέτυπον, καὶ νοητὴν ΙΔΕΑΝ ἀπεικονίσθη, βουληθεὶς τὸν ὁρατὸν τουτονὶ κόσμον δημιουργῆσαι προεξετύπου τὸν νοητὸν, ἵνα χρώμενος ἀσωμάτῳ καὶ θεοειδεστάτῳ παραδείγματι τὸν σωματικὸν ἀπεργάσηται, πρεσβυτέρου νεώτερον ἀπεικόνισμα, τοσαῦτα περιέξοντα αἰσθητὰ γένη, ὅσαπερ ἐν ἐκείνῳ νοητά. τὸν δὲ ἐκ τῶν ΙΔΕΩΝ συνεστῶτα κόσμον ἐν τόπῳ τινὶ λέγειν ἢ ὑπονοεῖν οὐ θεμιτόν: *Prævidens Deus, pro sua Deitate, imitamentum pulcrum non posse umquam esse, sine pulcro exemplari, nec sensile quidquam esse sine vitio, quod non ad archetypam & intelligibilem Ideam effictum sit; cum vellet conspicuum hunc mundum creare, prius formavit intelligibilem, ut usus incorporeo & Dei simillimo exemplari corporeum faceret antiquioris recentiorem imaginem, totidem complexurum sensilia genera quot sunt in illo intelligibilia. Mundum autem illum, qui ex Ideis constat, in quodam loco esse dicere, aut cogitare non licet.* Alia in eamdem sententiam habet in sequentibus, ex quibus etiam nonnulla postea proferam. Sed prius observandum *Philonem* adeo Platonicæ Philosophiæ addictum fuisse, ut ipsum Deum Platonico more de Ideis loquentem inducat Lib. 1. de Monarchia, pag. 631. Describit Mosem quidem petentem a Deo,

ut quoniam sibi ejus naturam videre non licebat, at saltem videre posset τὰς δορυφορούσας αὐτὸν δυνάμεις, *potentias ejus satellites*; Deum vero illi respondentem: ἃς ἐπιζητεῖς δυνάμεις εἰσὶν ἀόρατοι καὶ νοηταὶ πάντως, ἐμοῦ ἀοράτου καὶ νοητοῦ. λέγω δὲ νοητὰς οὐχὶ τὰς ἤδη ὑπὸ τοῦ νοῦ καταλαμβανομένας, ἀλλ᾽ ὅτι εἰ καὶ καταλαμβάνεσθαι οἷαί τε εἶεν, οὐκ ἂν αἴσθησις αὐτὰς, ἀλλ᾽ ἀκραιφνέστατος νοῦς καταλαμβάνειν πέφυκεν· αἱ δ᾽ ἀκατάληπτοι κατὰ τὴν οὐσίαν, ὅμως παρεμφαίνουσιν ἐκμαγεῖόν τι καὶ ἀπεικόνισμα τῆς αὐτῶν ἐνεργείας. οἷαι παρ᾽ ὑμῖν σφραγῖδες, ὅταν προσενεχθῇ κηρὸς ἤ τις ὁμοιότροπος ὕλη, μυρίους ὅσους τύπους ἐναπομάττονται μηδὲν ἀκρωτηριασθεῖσαι μέρος, ἀλλ᾽ ἐν ὁμοίῳ μένουσαι· τοιαύτας ὑποληπτέον καὶ τὰς περὶ ἐμὲ δυνάμεις περιποιούσας ἀποίοις ποιότητας, καὶ μορφὰς ἀμόρφοις, καὶ μηδὲν τῆς ἀϊδίου φύσεως μήτ᾽ ἐλαττούσας, μήτε μειουμένας· ὀνομάζουσι δ᾽ αὐτὰς οὐκ ἀπὸ σκοποῦ τινὲς τῶν παρ᾽ ὑμῖν ΙΔΕΑΣ, ἐπειδὴ ἕκαστον τῶν ὄντων ἰδιοποιοῦσι, καὶ τὰ ἑξῆς: *Potentiæ quas quæris sunt inconspicuæ & prorsus intelligibiles, cum sim ego inconspicuus & intelligibilis. Eas dico intelligibiles, non jam quasi mente comprehendantur, sed quia si possent comprehendi; non sensus, sed purissimum mentis acumen eas comprehendere posset. Illæ vero incomprehensibiles secundum essentiam, attamen ostendunt expressionem quamdam & imaginem suæ efficacia:*

*ciæ: quemadmodum, apud vos, sigilla, cum admovetur cera aut similis materia, sexcentas formas imprimunt, sine ullius partis imminutione, sed in simili statu manentia. Tales censendæ potentiæ, quæ sunt circa me, & qualitates, formasque addunt rebus qualitate, formaque carentibus, absque ullo sempiternæ suæ naturæ detrimento. Vocant eas non male quidam, apud vos, IDEAS, quia singulis eorum quæ sunt proprietates suas tribuunt &c.* In hisce, purum putum Platonicum agnoscis; soli enim Platonici Ideas eo modo tuebantur; nec immerito, *Dionys. Petavius* Dogm. Theol. Tom. I. Lib. IV. c. 9. prolato hoc loco: *Hæc Philo*, inquit, *sane ridicule. Nam Deum mere Platonicum facit, ac de nugis istis parum opportune garrientem. Quinam vero isti sunt, qui tanto ante Platonem & Socratem, ac Mosis ipsius tempore, imo ante Mosem, ideas illas aut nominarunt, aut earum omnino mentionem adtigerunt?*

Non satis fuit *Philoni* Platonicam doctrinam de Ideis suam facere, sed eam etiam Mosi diserte tribuit, verbaque ejus eo detorquet, pag. 4. de Opificio Mundi ubi, postquam multa in eam rem dixit, ita pergit: Μωσέως γάρ ἐστι τὸ δόγμα τοῦτο, οὐκ ἐμόν· τὴν γοῦν ἀνθρώπου γένεσιν ἀναγράφων ἐν τοῖς ἔπειτα ὁμολογεῖ διαρρήδην ὡς ἄρα κατ' εἰκόνα Θεοῦ διετυπώθη. εἰ δὲ τὸ μέρος εἰκὼν εἰκόνος, δηλονότι καὶ τὸ ὅλον εἶδος ὁ σύμπας αἰσθητὸς οὑτοσὶ κόσμος, ὃ μεῖζόν ἐστι τῆς ἀνθρωπίνης μίμημα θείας εἰκόνος: *Mosis enim dogma*

*hoc, non meum. Igitur hominis generationem deſcribens in ſequentibus diſerte fatetur, ſecundum imaginem Dei formatum eſſe:* (hoc eſt, inſtar Rationis Divinæ, quæ eſt imago Dei) *Si autem pars eſt imago imaginis, manifeſtum eſt univerſam ſpeciem, totum hunc ſenſilem mundum ejuſmodi eſſe, qui majus eſt imitamentum divinæ imaginis, quam humana natura.* Hæc, aliæque ſimiles Scripturæ detorſiones ad mentem *Platonis* fefellerunt *Clementem Alexandrinum* & *Euſebium*, qui exiſtimarunt revera hanc eſſe doctrinam Moſis. Vide *Euſebii* Præp. Evang. Lib. XI. c. 24. ubi profert verba *Philonis*, περὶ τῶν παρὰ Μωσεῖ ἰδεῶν, *de Ideis apud Moſem*, & Cap. 25. ubi ex *Clemente* ſimilia habet.

Ut autem intelligas *Philonem* hic non eſſe dimidiatum Platonicum, Ideas illas diſtinguit a Deo, & τῷ Λόγῳ ſeu *Rationi* ejus tribuit. Δῆλον δὲ ὅτι, inquit in proxime ſequentibus verbis, καὶ ἡ ἀρχέτυπος σφραγὶς ὅν φαμεν εἶναι κόσμον νοητὸν, αὐτὸς ἂν εἴη τὸ ἀρχέτυπον παράδειγμα ἰδέα τῶν ἰδεῶν, ὁ Θεοῦ Λόγος: *Liquet autem archetypum ſigillum, quem dicimus eſſe mundum intelligibilem, ipſum eſſe archetypum illud exemplar ideam idearum, Rationem Dei.* Ac ſane eum ante oculos habuisſe *Platonem*, in toto hoc libro, non modo res ipſa oſtendit; ſed & pag. 3. *Platonem* laudat, negatque eum aberraturum eſſe a ſcopo, quisquis dixerit ὅπερ καὶ τῶν ἀρχαίων εἶπέ τις, *quod quiſpiam Veterum dixit*, bonum eſſe patrem

trem & conditorem; ideoque suapte naturæ bonitate, non invidisse substantiæ nihil boni ex se habenti &c. quæ leguntur in *Platonis* Timæo. Sed & alibi sæpe illum laudat, contra quam nonnulli scribunt; qui *Philonem* legere debuissent, antequam de eo judicare adgrederentur.

*P. Ventidius* (*) tamen nos vellet credere *Philonem* non tantum *tenacissimum fuisse patriarum legum sectatorem*, sed etiam *Platonem nec ita multum legisse, nec amasse.* Quod quam falsum sit superiora satis ostendunt, sciuntque omnes qui *Platonem* & *Philonem* legerunt. At adfert locum ex libro, *mundum esse incorruptibilem*, ex quo putat *P. Ventidius* liquere *Philonem* non fuisse multum versatum in Scriptis *Platonis*; quod ex aliena fide sententiam ejus aperiat, quæ satis clara est iis, qui *Platonem* legerunt. Verum hinc liquet ipsum *Ventidium* neque *Platonem*, neque *Philonem* umquam studiose legisse; sed tantum quæsivisse loca in iis nonnulla, ut me oppugnaret. Locus enim hic unus *Platonis* in Indice Ed. Genevensis *Philonis* notatur, quasi nusquam alibi *Plato* laudaretur; cujus sæpius, in illo ipso libro, verba proferuntur, ut & alibi, præterquam quod sæpissime ad eum respicit Philosophus Alexandrinus. Imo vero si locus ille diligentius consideretur, liquebit in hoc quoque negotio *Philonem* se genuinum Platonicum præstare. Cum enim essent variæ sententiæ de *Platonis* mente, ad

O 5 æter-

(*) *Pag. 42, Diss. de Voc.* λόγος.

æternitatem materiæ mundi quod adtinet, alios potius profert ejus interpretes, & præsertim *Aristotelem*, quam suam ipsius sententiam; ne, quia notum erat ipsum nimium πλατωνίζειν, videretur veram Magistri sententiam dissimulare, ut *Platoni* melius cum Mose, de ortu mundi, conveniret. Hac de causa, σοφιζομένους κατὰ Πλάτωνα, eique tribuentes opinionem de æternitate mundi, confutat non tantum διὰ παντὸς συγγράμματος, *toto Timæi libro*, sed etiam ipsius *Aristotelis* testimonio.

Ut autem scias *Philonem* hic quoque præter modum πλατωνίζειν, lege quæ initio ejusdem paginæ habet; ubi, more Platonico, initium tribuit formæ mundi, sed non materiæ. Statum enim quæstionis περὶ ἀφθαρσίας κόσμου proponens, sic loquitur: Ὥσπερ ἐκ τοῦ μὴ ὄντος οὐδὲν γίνεται, οὐδ' εἰς τὸ μὴ ὂν φθείρεται. ἐκ τοῦ γὰρ οὐδαμῇ ὄντος ἀμήχανόν ἐστι γενέσθαι τι, τό, τε ὂν ἐξαπολέσθαι ἀνήνυστον: *Quemadmodum ex nihilo nihil fit, sic ne in nihilum quidem corrumpitur. Ex eo enim quod non est, fieri nequit ut fiat aliquid, & ut id quod est prorsus intereat.* Vide initium orationis *Timæi*, in *Platonis* dialogo, & ipsius libelli Locri Philosophi, ubi materia unum ex principiis esse dicitur, quod statuitur Deo συναΐδιον.

Ea lectione, cui nimium erat addictus *Philo*, factum est ut ei Ethnicæ loquutiones adhæ-

hæserint, qualis hæc est pag. 4. Lib. de Opif. Mundi, ubi sic loquitur de Cœlo: ΘΕΩΝ ΑΦΑΝΩΝ τε καὶ ΑΙΣΘΗΤΩΝ ἔμελλεν οἶκος ἔσεσθαι ἱερώτατος: *Deorum inconspicuorum & sensilium futurus erat sanctissima domus.* Sensiles Dei sunt Stellæ, inconspicui vero Ratio, & Angeli. Docet hoc ipse *Philo* in Lib. de Monarchia I. p. 627. ubi postquam invectus est in eos qui putabant Stellas solos esse Deos, ita loquitur: Πάντας οὖν τοὺς κατ' οὐρανὸν οὓς αἴσθησις ἐπισκοπεῖ Θεοὺς, οὐκ αὐτοκρατεῖς νομιστέον, τὴν ὑπάρχων τάξιν εἰληχότας, ὑπευθύνους μὲν φύσει γεγονότας, ἕνεκα δ' ἀρετῆς εὐθύνην οὐχ ὑφέξοντας: *Omnes igitur Deos, quos sensus intuetur in Cœlo, non credendum esse summos ac sui juris, quippe qui sortiti sunt ordinem præfectorum, & natura quidem obnoxii sunt castigationi, virtutis vero causa, castigationem non subeunt.* Hic habemus astra, quæ animis prædita, imo vero etiam *Dii* sunt; quæ dogmata sunt *Platonis*, in Timæo & alibi. Subjicit *Philo*: Ὡς ὑπερβάντες τῷ λογισμῷ πᾶσαν τὴν ὁρατὴν οὐσίαν, ἐπὶ τὴν τοῦ ἀειδοῦς καὶ ἀοράτου, καὶ μόνῃ διανοίᾳ καταληπτοῦ τιμὴν ἴωμεν, ὃς οὐ μόνον Θεὸς Θεῶν ἐστι ΝΟΗΤΩΝ τε καὶ ΑΙΣΘΗΤΩΝ, ἀλλὰ καὶ πάντων δημιουργός: *Itaque supergressi ratiocinatione omnem conspicuam essentiam, pergamus ad cultum illius forma destituti, & inconspicui & solo intellectu comprehensibilis Dei, qui non tantum est Deus Deorum* IN-

TELLIGIBILIUM & SENSILIUM, *sed etiam omnium opifex.* Nemo hoc legat, evoluto antea *Platonis* Timæo, qui non recordetur initio Orationis ſummi Dei ad inferiores Deos: Θεοὶ θεῶν, ὧν ἐγὼ δημιουργὸς πατήρ τε ἔργων: *Dei Deorum, quorum operum ego opifex & pater ſum* &c.

Qui hic non agnoſcet intolerandam in Judæo imitationem Ethnicorum, non video quid ſit intellecturus; nec cui uſui eſſe poſſet apud eum ratiocinatio. Quæ cum ita ſint, præterea, L. CANDIDE, recorderis neceſſe eſt ejus quod fieri ſæpe ſolet a Theologis; nimirum, eos interpretari Scripturam ex ea Philoſophia, quam optimam ac præſtantisſimam eſſe judicant. Cum enim Philoſophiam ſuam veram eſſe putent, cumque merito negent quidquam falſi ineſſe Scripturæ Sacræ, priori hanc adverſari non poſſe cenſent. Ideoque ſi quid in Scriptura occurrat, quod eorum Philoſophiæ adfine videatur, aut interpretatione ejus, indigere; illico utramque jungunt, quaſi mutuam opem ſibi ferentes. Non aliunde factum ut, iis temporibus quibus Platonica philoſophandi ratio ceteris præferebatur, Scripturæ interpretationes non paucæ ex Platoniſmo peterentur; poſtea vero, cum *Ariſtoteles* pluris fieri cœpiſſet quam *Plato*, Scholaſtici Doctores Ariſtotelicis dogmatibus Theologiam Chriſtianam interpolarunt. Eleganter & vere. *Deſ. Eraſmus* (*) in *Ratione Veræ Theologiæ: Qui bonam vitæ partem*

(*) *Tom. V. Op. p. 70.*

*tem in Bartholis ac Baldis, in Averroibus, in Holcotis, Bricotis ac Tartaretis, in Sophisticis cavillationibus, in confusissimis summulis ac collectaneis posuerunt, iis divinæ litteræ non sapiunt id quod sunt, sed quod illi secum adferunt. Etenim ut elegans est fortassis, in tractatione divinarum litterarum, nonnihil velut ab exoticis illis opibus obiter adspergere: ita vehementer absurdum videtur, cum rem tractes ab omni sapientia mundana longe diversissimam, nihil crepare, nisi Pythagoram, Platonem, Aristotelem, Averroëm & his profaniores Auctores; ad horum opiniones, velut ad oracula obstupescere; horum placitis & argumentis serio tueri nostræ Religionis dogmata, unde summorum virorum judicio pleræque hæreses exstiterunt, & quorum armis potissimum nos oppugnant Hæretici.* Aufer, *inquit Tertullianus*, Hæreticis quæcumque Ethnici sapiunt, ut de Scripturis quæstiones suas sistant, & stare non poterunt. *At hodie non alia in re Theologis majus studium. At non istud est Christi cælestem Philosophiam condire, sed prorsus aliam reddere. Taxatur Chrysippus, quod totas Tragœdias in ejus commentariis, quos de Logicis conscripsit, reperiri licuerit. Quo nos justius taxaverit aliquis, si videat plusquam totum Aristotelem in Theologorum commentariis inveniri?* Quin & hodie, postquam *Aristotelis* auctoritas ferme concidit, & magis adridere cœperunt *Ren. Cartesii* aliorumque recentiorum inventa, ex illis jam cœpimus Scripturam interpretari. Nec mirum, quandoquidem, ut dixi, verum cum vero pugnare

re posse non putamus. Attamen abstinendum esset ab eorum consuetudine, qui ex detorta Scriptura Philosophiæ suæ dogmata firmare conantur; cum satis sit eam Veritati nihil contrarii habere, nisi forte interdum cum vulgo loquatur.

Non proferam hic exempla detortæ eo modo Scripturæ, quæ possent ex Veteribus & Recentioribus colligi. Unum dumtaxat, quod ad Platonismum pertinet, commemorabo. *Augustinus*, ut liquet ex primis ejus Operibus, Platonicæ Philosophiæ æquo addictior cum esset, mundum illum intelligibilem, seu κόσμον νοητὸν, de quo ex *Philone* nonnulla antea dixi, putabat posse probari, hisce verbis Christi Joan. XVIII, 36. *Regnum meum non est de hoc mundo*; quasi, hinc liqueret esse alterum intelligibilem mundum, qui ab hoc distingueretur, sensu Platonico. Sic loquitur Lib. I. de Ordine, num. 32. *Esse autem alium mundum ab istis oculis remotissimum, quem paucorum sanorum intellectus intuetur satis ipse Christus significat, qui non dicit: Regnum meum non est de mundo; sed:* Regnum meum non est de hoc mundo. Verum cum non amplius de Philosophia Platonica tam bene sentiret *Augustinus*, testatus est Retract. Lib. I. C. 3. n. 2. sibi displicere *quod duos mundos*, unum sensibilem, alterum intelligibilem, non *Platonis*, *vel ex Platonicorum persona, sed ex sua, sic commendasset tamquam hoc etiam Dominus significare voluerit.* &c.

Cujus rei si meminerimus, non mirabimur

mur *Philonem*, quæ ex *Platone* hauserat, ea locis Mosis confirmatum ire, quasi esset Mosaïca doctrina, prout vidimus ab eo factum esse circa Ideas. Igitur quamvis quod dicit de *Ratione* divina, id ita proferat quasi a Mose accepisset; non sequitur, sine *Platonis* lectione, eum de *Ratione* illa umquam fuisse cogitaturum, lectis Scripturæ locis, quæ eam in rem trahere conatur. Magis ex re ipsa hoc liquebit; si protulero verba quæ ex ejus primo Quæstionum, Solutionumque libro habet *Eusebius*, Præp. Evang. Lib. VII. c. 13. Διὰ τί ὡς περὶ ἑτέρου Θεοῦ φησι τὸ ἐν εἰκόνι Θεοῦ ἐποίησα τὸν ἄνθρωπον, ἀλλ' οὐχὶ τῇ ἑαυτοῦ; παγκάλως καὶ σοφῶς τουτὶ κεχρησμῴδηται· θνητὸν γὰρ οὐδὲν ἀπεικονισθῆναι πρὸς τὸν ἀνωτάτω καὶ πατέρα τῶν ὅλων ἐδύνατο, ἀλλὰ πρὸς τὸν ΔΕΥΤΕΡΟΝ ΘΕΟΝ, ὅς ἐστιν ἐκείνου Λόγος· ἔδει γὰρ τὸ λογικὸν ἐν ἀνθρώπου ψυχῇ τύπον ὑπὸ θείου Λόγου χαραχθῆναι, ἐπειδὴ ὁ πρὸ τοῦ Λόγου Θεὸς κρείσσων ἐστὶν ἢ πᾶσα λογικὴ φύσις, τῷ δ' ὑπὲρ τὸν Λόγον ἐν τῇ βελτίστῃ καί τινι ἐξαιρέτῳ καθεστῶτι ἰδέᾳ, οὐδὲν θέμις ἦν γεννητὸν ἐξομοιοῦσθαι: *Cur, perinde ac si de alio Deo loqueretur*, ad imaginem Dei *factum a se hominem esse ait, non autem ad suam? Id vero præclare omnino atque sapienter divino celebratur oraculo. Nihil enim mortale ad summi illius ac rerum universarum parentis imaginem fieri poterat; sed ad secundi Dei, qui est illius Ratio. Oportebat*

*bat enim rationalem in hominis animo formam a divina Ratione informari, quoniam Deus ille, qui Ratione prior est, melior est quam universa natura rationalis. Nec fas erat quidquam, quod ortum habuisset, ei qui est superior Ratione, & in optima ac eximia quadam idea constitutus, adsimilari.* Quibus in verbis, nonnulla sunt observanda.

Primum, hic videre est *Philonem*, qui Platonismo totus imbutus erat, ad eam Philosophiam detorsisse locum Mosis Gen. I, 27. *Creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei;* cum manifestum sit postrema verba addita esse ad explicandam ambiguitatem pronominis possessivi quod antecedit; non ad significandum hic de altero Deo agi. Nemo non videat hunc esse sensum Mosis, nisi Platonismo præpeditus. Vide Orationem Jovis, ad ceteros minores Deos, in Timæo *Platonis.*

Secundo, *Philo* plane contra quam fas erat Judæo, more Platonico, vocat hic Rationem *alterum & secundum Deum*, quia sic loqui solebant Platonici, ut ex *Numenio*, *Plotino* & *Proclo* ostendit *Rod. Cudworthus*, pag. 548. & seqq.

Tertio, liquet ex eo quod ait creaturam *rationalem*, λογικὴν, similem esse τῷ Λόγῳ, vocem hanc vertendam esse *Rationem*, non *Verbum.* Quod partim sensit eruditus Jesuita *Fr. Vigerus*, qui tamen utramque significationem absurde conjunxit, in versione *Eusebii*, ubi postquam primo loco *Verbum* habuit pro *Ratione*, ita pergit: *Oportebat enim hominis*

*nis animo characterem illum rationis a Divina Ratione informari, cum & Deus ille Verbo, seu Ratione prior naturam omnem ratione præditam infinito superet intervallo; nec fas omnino quidquam esset, quod ortum habuisset, ad Numinis illius Verbo superioris & in optimæ planeque singularis naturæ gradu constituti similitudinem adspirare.* Perspicuum est ubique *Rationis* notionem fuisse adhibendam.

Quarto, ex hoc loco intelligere est *Philonem* existimasse naturam τῦ Λόγυ minus præstantem esse, quam naturam summi Dei; cum ratione præditæ creaturæ sint quidem ad imaginem Divinæ Rationis effictæ, at non ad imaginem primi Dei; quippe præstantioris, quam ut homines ad ejus imaginem creati dici queant. Quæ consentanea sunt quidem Platonismo, sed contraria divinæ revelationi. Si hæc animadvertisset *P. Ventidius*, numquam dixisset *Philonem* Scripturæ debuisse quod de Λόγῳ dixit, potius quam *Platoni*. Fassus esset, quamvis *Philo* laudet Scripturam, talia in Scriptura numquam inventurum hominem fuisse, nisi prius a Philosophis Ethnicis didicisset.

At objicit (*) *Philonem* interdum contemtim loqui de Philosophis & Philosophia. Verum hoc facit cum Philosophos confert cum Prophetis, Philosophiamque cum doctrina divinitus revelata; quam ab eo necesse fuit præferri Philosophorum libris, nisi deficere vellet a Judaïsmo. Ceteroqui nec Philosophiam,



(*) Pag. 44.

nec Philoſophos, ſi in ſe ſpectarentur, ſpernebat; quandoquidem ab eo non raro ſummis laudibus ornantur.

Sic Lib. de Mundi Opific. p. 13. poſtquam loquutus eſt de contemplatione rerum cœleſtium: ὅθεν, inquit, τὸ Φιλοσοφίας ἐβλάστησε γένος, ὑφ' οὗ καίτοι θνητὸς ὢν ἄνθρωπος ἀπαθανατίζεται: *hinc nata eſt Philoſophia, qua homo, quamvis mortalis, immortalitatem conſequitur.* In libro vero de congreſſu quærendæ eruditionis gratia, p. 340. Ἐστι, inquit, φιλοσοφία ἐπιτήδευσις σοφίας, σοφία δὲ ἐπιστήμη θείων καὶ ἀνθρωπίνων καὶ τῶν τούτων αἰτίων. γένοιτ' ἂν οὖν ὥσπερ ἡ ἐγκύκλιος μουσικὴ φιλοσοφίας, οὕτω καὶ φιλοσοφία δούλη σοφίας. Φιλοσοφία δὲ ἐγκράτειαν μὲν γαστρὸς, ἐγκράτειαν δὲ τῶν μετὰ γαστέρα, ἐγκράτειαν δὲ γλώσσης ἀναδιδάσκει. ταῦτα λέγεται μὲν εἶναι δι' αὐτὰ αἱρετὰ, σεμνότερα δὲ φαίνοιτο εἰ Θεοῦ τιμῆς καὶ ἀρεσκείας (leg. θρησκείας) ἕνεκα ἐπιτηδεύοιτο: *Eſt enim Philoſophia meditatio ſapientiæ, ſapientia vero ſcientia rerum humanarum, divinarumque, & harum cauſarum. Ergo ſicut encyclopædia philoſophiæ ſervit: ſic Philoſophia ſapientiæ. At Philoſophia docet nos continere ventrem, quæ ſub ventre ſunt & linguam. Hæc quidem dicuntur propter ſe expetenda, auguſtiora tamen videntur, quando in honorem Dei & Religionis cauſa exercentur.* Ex quibus verbis, aliiſque ſimilibus, manifeſtum eſt a *Philone* nequaquam ſperni

Phi-

Philosophiam Ethnicam; quamvis pluris multo eam faceret, quando erat cum Judaïca Religione conjuncta. Qui legerunt *Philonem* non indigent hisce exemplis; sed res mihi est cum homine, qui judicare voluit de *Philone* quem numquam videtur legisse; certe Græce intelligere non potest, qui usque adeo Linguæ Græcæ rudis est, (*) ut malit πρώτην δύναμιν verti *principem virtutem*, quam *primam potentiam.*

At *P. Ventidius* (†) vult *Philonem*, si quid habet adfine doctrinæ Christianæ, non absurde posse dici id a Christianis accepisse. Quî factum ergo est ut nusquam meminerit Christianorum, nam non puto *Therapeutas Philonis* esse Christianos *Ventidio?* Quî contigit ut ea exprimeret verbis Ethnicis, ut quando meminit *alterius* & *secundi Dei*, ad cujus imaginem homines sint creati; quod a Christianis auribus, non minus ac Judaïcis vix ferri potest? Cur naturam secundi hujus Dei minus præstantem esse credidit, natura primi? Sane si hæc a Christianis accepit, oportet fuisse sequioris generis Christianos; hæc enim non esse dogmata Apostolica sat notum est. Aut si audita a genuinis Christianis ita corrupisse censeatur *Philo*, ut similiora facta sint *Platonis* quam Christi dogmatibus; non video cur non potius ex ipso *Platone* primum petita existimentur.

Ne hoc fateatur *Ventidius*, mavult *Philonem* hausisse ex Judæis Scriptoribus Cabbalisticis,



(*) *Pag.* 39. (†) *Pag.* 54. & 74.

cis, Paraphrastisque Chaldæis; quorum aliquot loca a *Steph. Rittangelio*, aut *Jos. Vicinio* mutua accepta profert. Non dicam *Philonem* Hebraïce nescivisse, quamvis ejus nomine editus fuerit liber de *Nominibus Hebraïcis;* quod eorum significationes potuerit a Judæo Hebraïce sciente accipere. Similiter enim Cabbalistica dogmata, Thargumicasque loquutiones potuit audire a Judæis Hebraïcæ & Chaldaïcæ Linguæ peritis. Verum dicam hic tria statui, quorum incerta est veritas, aut explorata etiam falsitas. Primum est Doctores ejusmodi Cabbalisticos Paraphrastasque Chaldæos antiquiores esse *Philone*; aut certe doctrinas suas, loquutionesque, quibus utuntur, ab antiquioribus accepisse, quod nullo certo indicio constat. Alterum est, Cabbalistarum dogma esse Platonicam, aut Christianam Trinitatem; quod ex eorum verbis nonnisi fidiculis exprimi potest. Tertium denique, loquutione *Verbum Dei*, apud Chaldæos Paraphrastas significari personam quamdam a Deo Patre distinctam, & quidem Messiam, quod plane est fictum. Hæc qui audacter adfirmant, & quasi argumenta egregia, quibus Sancta Trinitas probetur, proferunt; causam, quam propugnare se fortiter putant, aut simulant, plane produnt, & ludibrium adversariis debent. Temere hoc a me non dici ut ostenderem, necesse esset justum ea de re conscribere volumen; quod minime opus est, postquam dum in hisce scribendis Litteris versor, edita est *Bilibra Veritatis & Rationis de* מימרא דיי *seu Verbo Dei, Libræ* Joan.

Joan. Steph. Rittangelii, & *Appendix* Josepho de Voisin, Raimundo*que* Martini *opposita, cui præmissa est Dissertatio de Verbo Dei, cujus creberrima sit mentio apud Chaldæos Paraphrastas.* In hoc enim libro, quæstiones memoratæ ita expenduntur, ut liqueat ex Judæorum armamentariis tela apta defendendæ Trinitati Christianæ non posse sumi, nisi ab iis qui aut volunt fucum nobis facere, qualis forte fuit *Rittangelius*: aut ab iis, quibus armamentaria illa satis nota non sunt. Objiciet forte *P. Ventidius*, librum esse ab homine, qui se Unitarium profitetur, conscriptum; at ego non soleo quærere quarum partium sit qui scribit, ut sciam rectene ratiocinetur, an secus, sed quibus utatur argumentis. Undecumque adfulgeat Veritas, mihi grata, acceptaque est: ut Mendacium, undecumque originem ducat, odi atque abominor. De rebus, non de hominibus, hic agimus; nec minus libenter a *P. Ventidio* discerem quod ignoro, quam ab homine quem longe optimum ac doctissimum esse existimarem. *Bilibram* hanc tamen *Veritatis*, quamvis in iis quæ dixi, ita expendisse putem argumenta *Vicinii* & *Rittangelii*, levia ut esse omnia ostenderit; per omnia, ne fallaris, probare nolim. At ex ea, nisi nolit, intelliget *P. Ventidius*, qui ei edendæ occasionem præbuit, non facile esse credendum alienis oculis, alienove judicio. Nihil opportunius contingere potuit Unitariis, quam contra eos adhiberi & laudari argumenta; quæ tam facile confutari poterant, prolato libro, qui alio-

 quin

quin in æternum forte delituisset. Nihil opportunius etiam mihi, verique aliis amantibus umquam accidit, qui contra Unitarios hujusmodi telis utendum non esse nonnullos frustra monuimus. Videram quidem *Disceptationem* præmissam, quam absurde confutavit *P. Ventidii* delicium *Rittangelius*; sed de *Bilibra* hac ne fando quidem quidquam acceperam.

Nunc veniendum ad loca *Philonis*, quæ mala fide a me prolata dictitat *P. Ventidius*. Sub finem Procemii Animadversionum mearum in Joannis initium, varia loca e *Philone* protuli, verbis tenus similia Christianis dogmatibus; quibus falli poterant Christiani, ac revera decepti sunt, dum existimant Christi doctrinam latere in Platonicis commentis. Negat hoc *Ventidius*, vultque *Philonem* e Mose, non e *Platone*, sua hausisse, insimulatque me malæ fidei. Videamus ergo quænam sint hæc loca, quod ut, sine repetitionibus ac tædio fieri queat, inspicias quæso, L. CANDIDE, primum locum *Philonis* a me illic adlatum, quo ferme videtur Christianam Trinitatem adumbrare. Inducit enim Deum stipatum duabus Potentiis, quarum altera, quæ mundum condidit, vocatur *Deus*; altera, quæ eum administrat, *Dominus*. At hæc non esse Christianorum Trinitatis descriptionem facile est intellectu, ex eo quod secernat eum qui creavit ab eo qui administrat; quia posterioris quidem nomine intelligit *Animam Mundi*, prioris vero *Rationem*. Has vocat δυνάμεις πρεσβυτάτας καὶ ἐγγυτάτας τοῦ Ὄντος,

*poten-*

*potentias antiquissimas & proximas Entis*; ex quibus verbis liquet non intelligi proprietates divinas, quæ Deo sunt non proximæ, sed συναΐδιοι & ταυτούσιοι, seu ejusdem numero naturæ & æternitatis participes, aut potius ipse Deus. *P. Ventidius* Cabbalisticas *Sephiras* hic significari putat, quæ cum sint Dei proprietates, huc nihil faciunt; ne jam repetam non liquere an ante *Philonem* ea philosophandi ratio nota Judæis fuerit. Merito ergo monui hic latere sententiam, *quæ similior sit dogmati, quod postea Arius propugnavit*; quam, sanæ doctrinæ, quæ Rationem Divinam & Spiritum Sanctum Patre inferiores esse negat.

In altero loco *Philonis*, observo πρωτόγονον Υἱὸν, *primogenitum Filium* dici Λόγον, quemadmodum loqui solent Christiani. At ibidem *Philo* eum facit ὕπαρχον μεγάλου βασιλέως, *præfectum magni Regis*; qui est, ex Christianorum sententia, ipse magnus Rex, natura sua omnibus imperans. Itaque similiora hæc quoque sunt Arianis doctrinis, quam nostris; ac proinde erat quod sibi caverent Christiani ab ejusmodi sermone.

Hic *Ventidius* in me graviter invehitur, quod non addiderim *Philonem* probare quod dicit, hoc modo: „ καὶ γὰρ εἴρηταί που· Ἰδοὺ „ ἐγώ εἰμι, ἀποστελῶ ἄγγελόν μου εἰς „ πρόσωπόν σου, φυλάξαι σε ἐν τῇ ὁδῷ: *Etenim alicubi dictum est: Ecce ego sum, mittam Angelum meum ante faciem tuam,*

 ut

ut custodiat te in via. Vult hinc liquere *Philonem* debuisse Mosi quod dixit de Ratione, & candorem meum hic desiderat. Verum si illi concederem a *Philone* rem ex Mose haustam, nulla esset mala fides in omissione eorum verborum; nam in eo loco Procemii ad Joannis Evangelium, nequaquam quæro an *Philo* debuerit suam sententiam Mosi necne, nec eam in rem hunc ejus locum adtuli; sed ut ostenderem ab eo vocari λόγον *primogenitum*, more Christiano. Itaque non debui addere plura *Philonis* verba, præter ea in quibus dicit, λόγον esse πρωτόγονον. Igitur *Ventidius* noster falso & perperam me insimulat malæ fidei. Præterea, ex iis quæ jam dixi, satis constat *Philonem* quæ legerat in Platonicis Philosophis quæsivisse in Scriptura; nec hac de re contrarium probat quod ait *Ventidius*, Psalm. LXXXIX, 27. Filium Dei futurum Regem Israëlis dici *primogenitum Dei*. Nam præterquam quod facile possit probari de Messia illic sermonem non esse, cum ex re ipsa, tum ex eruditissimorum Interpretum sententia; oporteret *Ventidium* ostendisse *Philonem* locum Psalmi in eam sententiam protulisse; & cum hoc ostendisset, non multum propterea promovisset, ob causam antea adlatam.

Postea, ut pergerem ostendere *Philonem* multa habere verbo tenus Christianis dogmatibus adfinia, protuli locum e libro *Quis divinarum rerum heres*, p. 397. in quo Λόγος describitur quasi *Mediator* inter Deum & homi-

mines. Hoc unum volui eo loco probare, non quod somniat *Ventidius*, hæc *Philonem* a *Platone* habere. Quare detraxi verba Mosis ab Alexandrino Philosopho detorta, quæ nihil faciebant ad rem meam; qui non soleo eos imitari, qui corradunt omnia quæ sibi occurrunt, si cum quæstione quæ agitur vel minimum sint conjuncta. Igitur perabsurdum est, ne dicam iniquum & inhumanum, me doli & fraudis insimulare.

Sed omnem absurditatem superat quod hic vult *Ventidius*, ex historia allegorice explicata potuisse *Philonem* discere Λόγον esse Mediatorem inter Deum & homines. An quia Moses adloquens populum Hebræum, Deut. v, 5. narransque quid in Legislatione contigisset dicit: Κἀγὼ εἱστήκειν ἀναμέσον Κυρίου καὶ ὑμῶν, καὶ τὰ ἑξῆς: *& ego steteram inter Dominum & vos, in illo tempore, ut nunciarem vobis verba Domini, quod timebatis a facie ignis, & non adscendistis in montem*, &c. an, inquam, ex hac narratione potuit colligere *Philo* Λόγον esse Mediatorem nostrum, atque Internuncium apud Deum? An necesse est quidquid Moses de se dicit id posse adfirmari περὶ τοῦ Λόγου? An hoc alicubi docuit *Philo*? Nusquam; sed hic, pro sua perpetua consuetudine, Scripturam trahit in Allegorias; ut doctrinam, quam jam animo prius conceperat, ejus verbis illustret. Locus Mosis eum ad credendum Λόγον esse Mediatorem non adduxit, sed præconcepta hæc opinio effecit ut verbis Mosis, a superioribus &

a ſequentibus avulſis, Allegoriſtarum more, abuteretur.

At unde, inquies, *Philo* incidit in eam cogitationem de munere Mediatoris, quod *Rationi* tribuit? Ex notione, nimirum, Platonica naturæ *Rationis*, quæ media eſt inter ſummum Deum & Creaturas; quæ non eſt ingenita ut Dei natura, neque facta ut nos, quemadmodum in eo loco docet.

Alia nonnulla loca, præter ſenſum proprium detorta, *Philonem* non magis docuerunt id quod de *Ratione* habet, ut Num. XVI, 50. & quod dicit de Nube media inter Iſraëlitas & Ægyptios. Inſpice locum, & miraberis inventum fuiſſe, qui auderet dicere hinc *Philonem* didiciſſe quod de Ratione ſentiebat; niſi iraſcaris homini usque adeo præcipiti, & rixarum amanti.

At *Ventidius* profert *Euſebii* ſimilia de *Philone* ſentientis verba. Non mirum eſt ab *Euſebio* creditum *Philonem* deſumſiſſe ex Scriptura quæ habet de Tribus Principiis; qui *Platonem* ipſum ex eo fonte hauſiſſe temere exiſtimavit, ut antecedente Epiſtola oſtendi; & qui cum *Philone* ſecundum Principium, aut *ſecundum Deum*, ut loquitur ille, putavit eſſe inferiorem primo; quam ſententiam non veretur tribuere antiquis Hebræis. At ego plane exiſtimo, quam falſum eſt veteres Hebræos ſenſiſſe quæ poſtea ſenſere Ariani, tam falſum eſſe *Philonem* hanc ſententiam in Hebræorum libris inveniſſe. Hæc non animadvertit *P. Ventidius*, qui ex verſione *Fr. Vigeri* integra duo Capita protulit. Itaque opor-

oportet rem a nobis hic ostendi, ut discat legere adtentius quæ profert, nec ita fidere judiciis Veterum, quorum dogmata non satis expendit.

Quamvis non ostendissem, Epistola II. ad Illustriss. & Reverendiss. Archiepiscopum Cantuariensem scripta, *Eusebium* fuisse Arianum, liceret hoc discere cum ex verbis a *Ventidio* prolatis, tum ex loco qui exstat Lib. VII. c. 12. P. E. ubi Hebræorum *de secunda causa*, περὶ δευτέρου αἰτίου, Theologiam sic interpretatur, ut Arius fecisset: Μετὰ τὴν ἄναρχον καὶ ἀγένητον τοῦ Θεοῦ τῶν ὅλων οὐσίαν ἄμικτον οὖσαν καὶ ἐπέκεινα πάσης καταλήψεως, ΔΕΥΤΕΡΑΝ ΟΥΣΙΑΝ καὶ θείαν δύναμιν ἀρχὴν τῶν γενητῶν ἁπάντων, πρώτην τε ὑποστᾶσαν, κἀκ τοῦ ΠΡΩΤΟΥ ΑΙΤΙΟΥ γεγενημένην εἰσάγουσι, Λόγον καὶ Θεοῦ δύναμιν αὐτὴν προσαγορεύοντες: *Post Dei omnium essentiam sine initio & ingenitam, misturæ expertem & ultra omnem comprehensionem sitam, inducunt* SECUNDAM ESSENTIAM, *& divinam potentiam principium creatorum omnium, primam exsistentem, & ex* PRIMA CAUSA *genitam; Rationem* aut *verbum, & sapientiam & Dei potentiam eam vocantes.* Deinde profert varia loca Veteris Testamenti, ubi mentio fit Verbi, Sapientiæ & Potentiæ Dei, quæ nonnisi absurde intelligi queunt de *secunda essentia* divina, ut jam omnes Theologi fatentur. Post falsam interpretationem Theologiæ Veterum Hebræorum, sequente Capite

te ſubjicit locum *Philonis*, quem antea jam exſcripſi, & qui egregie quidem cum Theologia *Euſebii*, hoc eſt, cum Arianiſmo conſentit; ſed plane adverſatur Theologiæ & aliorum Chriſtianorum & Veterum Hebræorum. Similiter Lib. IX. poſtquam Cap. XIV. ex Vetere Teſtamento eodem modo ratiocinatus eſt, profert Capite XV. verba *Philonis* ſententiam illam confirmantia, quæ habet *Ventidius* Latine. At ſi Græca paullo diligentius inſpexiſſet, vidiſſet *Euſebium* manifeſto ἀρειανίζειν, qui ita de loco Pſalm. CX, 1. *Dixit Dominus Domino meo*, &c. ratiocinatur: τὸν μὲν ἀνωτάτω Θεὸν διὰ τοῦ πρώτου Κυρίου, τὸν δὲ (ſupplendum Θεὸν) τούτου δεύτερον διὰ τῆς δευτέρας ἀποφήνας προσηγορίας: *primo Domino altiſſimum Deum, ſecunda vero adpellatione* (Deum) *qui eſt ab illo ſecundus ſignificans*. Hic eſt merus Arianiſmus, quem *Ventidius* imprudenter adfirmat *Euſebium* in Vetere Teſtamento inveniſſe. In locis *Philonis* petitis ex libro, quo probat *deteriorem inſidiari meliori*, ita diſtinguitur Λόγος a Deo, itaque inferior habetur, ut doceat *Philo eum, qui nondum qui filius Dei vocetur dignus fuerit, ſtudere oportere ut ſe componat ſecundum primogenitam ejus Rationem, Angelorum antiquiſſimum, & ut Archangelum variis nominibus gaudentem*, &c. Κἂν μηδέπω μέντοι τυγχάνῃ τις ἀξιόχρεως Υἱὸς Θεοῦ προσαγορεύεσθαι, σπουδαζέτω κοσμεῖσθαι κατὰ τὸν πρωτόγονον αὐτοῦ Λόγον, τὸν Ἀγγέλων πρεσβύτατον,

καὶ

καὶ ὡς ἂν Ἀρχάγγελον πολυώνυμον ὑπάρχοντα. Si *Philo* credidisset Λόγον esse unius numero naturæ participem æque ac Deum, numquam ita loquutus esset; nec eam cogitationem repetiisset, ut facit in sequentibus. Nam ex Christiano dogmate, filii τοῦ Λόγου eo ipso sunt filii Dei, cui est una numero essentia ac *Rationi*. Sed sunt Platonica hæc *Philonis* commenta, quæ invenit in Scriptura, ut pueri in nubibus quæcumque volunt animalia. Visne ejus rei aliud certum argumentum? Postquam dixit *Rationem* vocari *Orientem* Zachar. VI, 12. negavitque hoc nomen convenire homini, ita pergit philosophari: Ἐὰν δὲ τὸν ἀσώματον ἐκεῖνον θείαν Ἰδέαν φοροῦντα ἱκανῶς ὁμολογήσεις ὅτι εὐθυβολώτατον ὄνομα ἐπεφημίσθη τὸ Ἀνατολὴ αὐτῷ· τοῦτον μὲν γὰρ πρεσβύτατον Υἱὸν ὁ τῶν ὅλων ἀνέτειλε Πατὴρ, ὃν ἑτέρωθι πρωτόγονον ὠνόμασε· καὶ ὁ γεννηθεὶς μέν τοι μιμούμενος τὰς τοῦ Πατρὸς ὁδοὺς πρὸς παραδείγματα ἀρχέτυπα τὰ ἐκείνου βλέπων ἐμόρφου τὰ εἴδη: *Si vero (dici censeas*, λέγεσθαι νομίσῃς) *incorporeum illum divinam Ideam ferentem, satis fateberis convenientissimum nomen ei* Orienti *inditum fuisse. Hunc enim antiquissimum filium Pater universi oriri fecit, quem alibi primogenitum vocavit. Genitus autem imitatus vias Patris, adspiciens illius Archetypa exemplaria, formavit species.* An Ideas hasce ex Scriptura, vel ex *Platone* desumsit? Sine dubio ex posteriore,

re, ut jam ostendimus; quamvis *Eusebius* quoque eas in Scriptura quæsiverit.

Dixi, ut id repetam quod oblitus est *P. Ventidius*, in Animadversionibus ad initium Joannis, *Philonis* sermonem, multis in rebus similem Christianorum doctrinæ, potuisse fallere Christianos non satis acutos, aut adtentos, remque probavi multis exemplis; ac inter alia, loco in quo Λόγος dicitur *Pontifex Maximus*, num. 4. At noster *Ventidius*, qui ubique carpendi studio ita occæcatur, ut vix perpendat ratiocinationis nexum, in me invehitur, quasi eo in loco voluerim probare loquutiones Platonicas esse in Christianam Theologiam intromissas; quod ne somniabam quidem, ea in parte Animadversionum mearum. Sic passim facit, ita ut vix sedato animo legisse videatur quod confutandum suscepit. Sed operæ pretium non est multis probare hominem carere & ἀκριβείᾳ & bona fide; quod statim animadvertent quicumque vel pagellas aliquot ejus Scriptorum cum meis comparabunt. Unum tantum exemplum addam, in quo me ratiocinantem inducit plane aliter quam feci. Ad vers. 1. Joannis probavi Veteres multos Ethnicos usos esse voce Λόγος, ad significandam Naturam, a qua omnia creata sunt, ante *Philonem*; qui de *Sermone* non cogitarunt, sed tantum de *Ratione*. Tum amando Lectorem ad *Philonem*, quem simili sensu ea voce usum contendo. Fingit hic *Ventidius* me in en loco voluisse docere, quo sensu Joannes utatur voce

Λόγος,

Λόγος, quod & in Paraphrasi feci, & in sequentibus. Eo vero loco, hoc unum agebam, ut ostenderem vocem Λόγος, antequam Joannes scriberet, pro *Ratione* vulgo usurpatam apud Ethnicos, & nonnullos Judæos, ubi de creatione mundi sermo esset; quod, nisi fallor, præstiti. Verum hæc aliaque similia, ut & omnes criminationes hæreseos, & contumeliosa dicta prætermitto. Qui norunt *Ventidium* jam dudum sciunt hæc esse potissima ejus arma, nec eos novi quidquam docerem, iis prolatis. Parum nocuit Symmystis suis, quos oppugnavit iis artibus; nec, ut spero, mihi multum nocebit. Videat tantum ipse, ne præmio εἰρηνοποιῶν excidat, & animum suum coram Deo excutiat; quod opto ita ab eo fieri, ut intelligat quid communis Servator ab homine & a Theologo Christiano postulet.

Tandem veniendum ad loca, quæ profert, ut ostendat *Philonem*, ubi de creatione agit, vocem Λόγον adhibere significatu *Sermonis*, non *Rationis*, prout contendi. Sed oportet hic te esse memorem, L. CANDIDE, quo sensu hoc a me dictum sit. Quod, nimirum, est intelligendum, quando Λόγος significat Naturam distincta exsistentia præditam, qualem antea ejus verbis descripsi; nam ea in re nostræ disceptationis cardo vertitur. Numquam negavi *Philonem* aliquando respicere ad loca Mosis, in quibus Deus dicto, seu imperio omnia creans inducitur, aut ea loca protulisse. Non negavi actionem ipsam

τοῦ Λόγου, seu *Rationis* divinæ, seu secundi Dei, ut *Philo* loquitur, posse ab eo dici Ra-λόγον, seu *sermonem;* sed tantum ideo *Ra-tionem* divinam dictam ab eo Λόγον, quod imperio creans Deus describatur ab Hebræo-rum Legislatore; *Philonemve* ullo verbo in-dicare se propterea in eas cogitationes περὶ τοῦ Λόγου incidisse.

Nunc videamus quomodo contrarium pro-bet *Ventidius*. Profert locum ex Lib. de Sa-crificiis Abelis & Caïni, p. 109. ex versione *Sigism. Gelenii*, ut solet, quamvis parum ad-curata. Græce vero eum subjiciam particu-latim & Latine vertam. Postquam ergo *Phi-lo* dixit Deum non indigere tempore, ut dis-ciplinas homines edoceat, quemadmodum non indiguit tempore ad creandum, sic pergit: ὁ γὰρ Θεὸς λέγων ἅμα ἐποίει, μηδὲν μέ-ταξὺ ἀμφοῖν τιθείς. εἰ δὲ χρὴ δόγμα κινεῖν ἀληθέστερον, ὁ λόγος ἔργον αὐτοῦ. λόγου δὲ εὐκινητότερον οὐδὲν καὶ παρὰ τῷ θνητῷ γένει: *Deus enim dicens simul faciebat, nihil inter utrumque* (factum & dictum) *ponens, vel si oportet dogma verius proloqui, sermo est ejus operatio. Nihil est autem mobilius sermone, apud mortale genus.* Hic describitur actio ipsa Dei, non vero ὁ ἐνυπόστατος Λόγος, (non ὑποστατικὸς, ut ridicule habet *P. Ven-tidius* ) ideoque hic locus, quod pace *P. Ven-tidii* dictum sit, nihil ad rem facit, cum non probet id quod probandum erat.

Sic pergit de sermone, vel loquela philo-so-

sophari Philo: παραμείβεται γὰρ τῇ ῥύμῃ τῶν ὀνομάτων καὶ ῥημάτων τὴν ἐπ' αὐτοὺς φθάνουσαν κατάληψιν. ὥσπερ οὖν τὰ διὰ κρουνῶν ἐκρεόμενα ἀέννασ νάματα ἄληκτον ἔχει τὴν φορὰν, ἐπικαταλαμβάνοντος ἀεὶ τὴν λῆξιν τοῦ ἐπιόντος ῥεύματος, οὕτως ἡ τοῦ λόγου πλημμύρα ὅταν ἄρξηται φέρεσθαι, τῇ ἐν ἡμῖν τῇ ὀξυκινητοτάτῳ διανοίᾳ, ὃ καὶ τὰς πτηνὰς παραμείβεται φύσεις, συντρέχει: *antecedentem enim conceptum adsequitur verborum nominumque fluxu. Igitur ut perennes fontes tubis effluentes jugem habent decursum, superveniente fluctu adsequente eum qui desinit; sic exundatio sermonis, cum ferri cœpit, cursu æquat mentem celerrimam omnium rerum, quæ sunt in nobis, quæ & volucres naturas adsequitur.* Hæc quidem ad controversiam nostram minime pertinent, nec debuerant a *Ventidio* proferri; sed ostendunt *Philonem* judicasse loquutione Mosis: *& dixit Deus, sit lux*, &c. significari divinarum actionum celerem exsequutionem; non vero a Mose obscure descriptam Naturam divinam ἐνυπόστατον, quæ *Sermo* aut *Verbum* dici posset, prout vulgo postea crediderunt Christiani.

Subdit *Philo*, ex lectione meliorum Codicum, quæ est ad calcem Editionis *Adriani Turnebi*, typis regiis anni M D L I I: καθάπερ οὖν ὁ γεννητὸς φθάνει πᾶσαν νόησιν, οὕτω καὶ ὁ τοῦ ἀγεννήτου λόγος παραθεῖ τὴν (sic vice versa melius alii Codices, quam

παρά τι τ) γενέσεως κἂν ὀξύτατα ἐπινήφων παραφέρηται: *Igitur ut genitus sermo antevertit omnem nutum: sic sermo ingeniti prætercurrit genitum, quamvis vigilans acutissime prætergrediatur.* Hæc omnia ostendunt imperia divina quam celerrime exsequutioni mandari, sed nihil περὶ τοῦ ἐνυποστάτου Λόγου complectuntur.

Sequuntur hæc verba: οἷς καὶ παῤῥησιάζεται, φάσκων, „ ἤδη ὄψει ἐπεὶ (leg. εἰ ἐπικα- „ ταλ.) καταλήψεταί σε ὁ λόγος μου, ὡς πάντα ἐφθακότος καὶ κατειληφότος τοῦ θείου λόγου. Εἰ δὲ ὁ λόγος ἔφθακε, πολλῷ μᾶλλον ὁ λέγων αὐτός: *Quapropter & libere loquitur, dicens:* jam videbis an te consequetur verbum meum; *eo quippe omnia antecedente & adsequuto. Si autem verbum adsequutum est, multo magis ipse loquens.* Hic desinunt verba a *Ventidio* Latine laudata, quorum postrema nihil prorsus faciunt ad rem; cum in iis nec de Λόγῳ ἐνυποστάτῳ, nec de creatione sermo sit. Oportebat enim proferri locum *Philonis*, ubi de *secundo Deo*, ut loquitur, agens ostenderet eum dici a se Λόγον, eo quod putaret Mosem ad eum respexisse in Historia Creationis, ubi Deum verbo creantem inducit. Quod cum non fecerit, *Ventidius* imprudenter omnem illam disceptationem, de *Philone* & Λόγῳ, ingressus est, & inique in me invectus.

Verum prætermittis, inquies, locum unum atque alterum *Philonis*, a *Ventidio* lauda-

datos. Volebam sane prætermittere, quia ne ulla quidem cum rationis specie proferuntur. Prior est ex Libro de Migratione Abrahami, p. 312. & sic habet: Καὶ εὐλογήσω σε, τουτέστιν ἐπαινετὸν λόγον δωρήσομαι· τὸ γὰρ εὖ πάντως ἐπ' ἀρετῆς: *hoc est laudatum animum & sermonem* (nam λόγος hic & pro *ratione*, seu *mente*, & pro *sermone* sumitur, ex tota amplitudine quam duplici significatu obtinet) *dabo; nam illud bene* (εὖ *in* εὐλογήσω) *omnino virtutem significat.* Sed quid hic est de mundi creatione, aut de ejus creatore ἐνυποστάτῳ Λόγῳ? Quis non videt, ex *Philonis* sententia, Deum polliceri Abrahamo bonam mentem, seu recta consilia, & sermones cum eis consentientes? Λόγος δὲ, inquit *Philo* in proxime sequentibus verbis, ὁ μὲν πηγῇ ἔοικεν, ὁ δὲ ἀποῤῥοῇ· πηγὴ μὲν ὁ ἐν διανοίᾳ, προφορὰ δὲ ἡ ἀπὸ στόματος καὶ γλώττης ἀποῤῥοή. *Alter λόγος est similis fonti, alter vero rivo. Fons quidem est ille, qui in intellectu; decursus vero est rivus, qui est ab ore & a lingua.* Paullo post hæc quoque habet, quæ a *P. Ventidio* etiam partim proferuntur: πολλοὶ γὰρ λογίζονται μὲν τὰ βέλτιστα, ὑπὸ δὲ ἑρμηνέως κακοῦ προὐδόθησαν λόγου: *multi enim optima quidem cogitant, sed a malo interprete sermone produntur.* Addit & tertium locum, ex libro quo *Philo* probat *deteriorem potiori insidiari*, p. 139. ubi loquacibus tribuitur ἀσχημονῶν λόγος,

*indecorus sermo.* At quis non videt hæc aliena omnia esse a re, quæ hic agitur? An hæc probant, apud *Philonem*, creationem mundi ideo Λόγον dici, quia Moses Deum omnia verbo creantem descripsit? Hoc tamen erat *P. Ventidio* demonstrandum; at Noster non magis meminit ejus quod probare ipse adgressus est, quam ejus quod probandum ego suscepi. Verum quod ratiocinanti deest, id incredibili confidentia pensat; quæ ubique in libellis ejus maxima cernitur, etiam ubi ne minimum quidem colorem opinionibus suis illinere potuit: ut hoc loco, in quo, quasi re bene gesta, me *temeritatis immanis* insimulat, quod ausus fuerim dicere ex nullo *Philonis* loco colligi posse Λόγον ἐνυπόστατον ita dictum, ob creationem verbo peractam. Vidisti, L. CANDIDE, quibus locis me oppugnare conatus sit, quæ si verisimilem ejus opinionem tibi fecerint, me victum fatebor.

Ex superioribus satis liquet *Philonem* Platonicum fuisse, qui a Magistro τῦ Λόγυ notionem accepit; quem etiam inferiorem statuit summo Deo, quemadmodum ostendi. Hæc cum minime sint hausta ex Libris Veteris Testamenti, ne nomen quidem Λόγυ ex eo desumtum merito videatur. Vocem hanc debuit *Platoni*, qui Λόγον vocavit Naturam intelligentem ac ratiocinantem, & quæ aliter a Platonicis Νῦς dicitur. Hæc eo credibiliora sunt, quod *Philo* frequenter vocet Λόγυς, *rationes*, aut *mentes*, Angelos, ut mul-

multis exemplis dudum ostendit *Christoph. Sandius*, in Dissert. περὶ τοῦ Λόγου. pag. 260. & 261. quæ est Paradoxis ejus Interpretationibus subjecta. Non probo equidem, ne *Ventidius* mihi hæresin *Sandii* objiciat, quæcumque habet in ea Dissertatione, aut, ut clarius loquar, ea Dissertatio mihi parum placet, cum ad summam rei quod adtinet; tum etiam in plerisque partibus. Sed tot exempla vocis Λόγος, pro Angelo sumtæ, protulit ex *Philone*, ut nullum superesse possit dubium; quidquid tandem in aliis deliquerit, quod nunc non inquiro. Ante illum idem animadverterat *Hug. Grotius* ad Sapient. XVIII, 15. Quamobrem necesse non est ullum a me præterea adferri exemplum.

Si *P. Ventidius* potuisset id quod probandum susceperat demonstrare, quemadmodum feci quod ille negavit; ipse sibi triumphum decerneret, seque summo jure posse me omnibus contumeliis ac conviciis proscindere, existimaret. Ego vero ex iis quæ probavi, hunc unum fructum capere ut mihi liceat postulo, ut ne ejus aliis criminationibus contra me fides ulla habeatur; nisi postquam adcurate expensum fuerit, quod in Scriptis meis carpit. Neque enim vacat singula ejus dicteria ad examen revocare, ac ostendere quam me & mea parum norit; præterquam quod nihil nisi tædium Lectori parerent particulatim discussæ calumniæ. Adde quod iis prætermissis & meæ operæ, & ad-

versarii existimationi parcam, qua integra me posse defendere maluissem. Tu vero, L. CANDIDE, qui probe nosti quis sim, & qui mea legisti, omnium optime potes & ipse judicare & ceteros ab errore revocare. Vale.

*Dabam Amstelodami, Idibus Juliis* CIƆ IƆ C XCIX.

EPIS-

# EPISTOLA IX.

*Defenditur* Clerici *conjectura de initio Evangelii Joannis, in quo ad* Philonem *respexisse Evangelistam existimavit. Error* P. Ventidii *suppostititium* Philonem *cum vero miscentis. Judæos ex Philosophia Platonica Theologiam suam, ante tempus Christi, corrupisse. Ideo Apostolos monuisse Christianos ut sibi caverent a Philosophia; quo monito spreto, Veteres Hæretici aliique in multos errores delapsi sunt. Prudenter factum a Joanne, quod docuerit quo sensu adhiberi possent voces nonnullæ Philosophicæ. Videri illi lectum* Philonem, *aut certe notum, ex narratione eorum qui legerant. Passim confutatur* P. Ventidius.

## EIDEM S. P. D.

## JOANNES CLERICUS.

POSTQUAM, in superioribus meis ad te Litteris, CANDIDE VERE, probavi nec *Platonem*, nec ejus discipulum *Philonem* ex Hebræorum libris aut sermonibus hausisse quæ habent de tribus Principiis; nunc ostendendum est nihil esse quod sit vero absimile, in mea conjectura de initio primi Capi-

pitis Evangelii Joannis, in quo existimavi Evangelistam ad *Philonem* respexisse. Sed ante omnia, necesse est, ne quis errore *P. Ventidii* abreptus decipiatur, me profiteri a me intelligi *Philonem* Alexandrinum, qui Græce scripsit; & cujus Opera Græce & Latine prostant; non *Philonem* illum editum ab *Annio Viterbiense*, a quo ridiculum opus Antiquitatum Judaïcarum nobis obtruditur. Potuisset hoc discere *P. Ventidius* a *Ger. Joanne Vossio*, Lib. II. de Hist. Græcis Cap. 7. aut ex Indice Operum *Philonis* genuini, ubi nihil simile comparere vidisset; sed ne eum quidem umquam satis adtente evolvit, nedum ut *Philonem* ipsum legerit. Ut enim probet (*) tanti non fuisse Joanni aut aliis Christianis *Philonem*, ut ostenderet Joannes, quo sensu usurpari possint verba quibus utitur, profert judicium *Joan. Spenceri*, viri doctissimi, de Leg. Heb. Lib. III. C. IV. Diss. 7. ubi ita habet: *Veritatis hujusce gemmam, radio licet obscuriori emicantem, in Philonis antea laudati fabularum sterquilinio forsan ostendere possimus.* Laudat *Spencerus* in margine *Antiquitatum Biblicarum librum*, ex quo locum adfert, qui in editione *Annii* exstat. At *Ventidius*, cui non multo notior est verus *Philo*, quam fictus, avide hæc adripuit, quasi de vero *Philone* ageret, subjicitque: *Quam parum proinde ei tribuat sequentia palam faciunt:* Sed forte *Philonem* illum, ut nugacem, & nullius fidei Scriptorem, non pauci re-

(*) Pag. 39.

repudiabant. *Tam exigua existimatio est, quam tot sæculis, ipso Spencero teste, sibi comparavit Philo, cujus tamen adhuc recentis, imo vix dum cogniti, tam sollicite ab ipsis Apostolis ratio sit habita, ut de vocabulis in Religionem ab ipso & aliunde translatis, mentem explicare Joanni operæ pretium fuerit.* At *Spencerus* non fuit ita imperitus, ut misceret hunc *Philonem* cum Alexandrino, quem alibi non raro laudat. Ipsum pronomen *illum* hoc satis innuit, quo distinguitur Scriptor Antiquitatum Biblicarum ab Alexandrino *Philone*: Nec ulla ratione hic dici potest *fabularum sterquilinium*, qui fabulas, aut fictas historias minime narrat, ut Annianus *Philo.* Si in hujusmodi turpi hallucinatione me deprehendisset *Ventidius*, quas illi pœnas non darem? At illi ego pro talibus ausis meliorem animum a Deo precor, optoque ut sibi caveat in posterum ne in certamen descendat cum bono viro, ab omnibus imparatus, nisi a conviciis & fiducia.

Nunc ut ad rem veniam, ostendam Judæos, diu ante tempora Joannis, ex Philosophorum lacunis Theologiam suam corrupisse; quamobrem etiam Paulus monuit Christianos ut sibi a Philosophia caverent quo monito contemto, antiquissimi Hæretici in turpes errores prolapsi sunt; qua de causa, Joannem prudentissime usu suo ostendisse quomodo adhiberi possent voces nonnullæ, præsertim a *Philone* usurpatæ, qui ignotus ei esse vix potuit. Quæ si ostendero, nemo, ut opinor, conjecturam meam temeritatis arguerit,

cum præſertim quaſi ſaluti neceſſariam nemini obtrudam.

Ex quo Seleucidæ ac Lagidæ in Aſia & in Ægypto Monarchias condiderant, una cum Lingua Græca, artes ac libri Græcorum cœperunt Aſiaticis innoteſcere. Philoſophia præſertim, & quidem Platonica, non Idololatris tantum ſed & ipſis Judæis, inter eos, in Syria atque in Ægypto verſantibus, mirum in modum placuit. Unde factum ut & Philoſophi inter eos eſſe cœperint, & varia Græcorum dogmata in Theologiam Judaïcam derivarint, cum qua ea conſentire putabant.

Philoſophus fuit Judæus *Ariſtobulus* Peripateticus, cujus ſæpe meminerunt *Clemens Alexandrinus* & *Euſebius Cæſarienſis*, & qui Ptolemæo Philometori inſcripſit explanationes in Legem Moſaïcam. Sic habet *Euſebius* in Chronico, ad ann. M D CCC XL: *Ariſtobulus natione Judæus Peripateticus Philoſophus, cognoſcitur, qui ad Philometorem Ptolemæum explanationum in Moyſen Commentarios ſcripſit.* Ad quem locum, vide *Joſ. Scaligerum*, cum quo, ſi ita videatur, confer etiam *Henr. Valeſium*, ad *Euſebii* H. E. Lib. VII. c. 32. Tres inſignes ejus locos habemus apud *Euſebium*, in Præp. Evangelica. Primus eſt Lib. VII. c. 14. in quo contendit cum eo, quod Salomo dixit de Sapientia, conſentire dogma nonnullorum Peripateticorum. Secundus eſt Lib. VIII. c. 10. ubi agit de membris, quæ Scriptura Sacra videtur Deo tribuere, & ubi obiter inſimulat Poëtas & Philoſophos Ethnicos furti. Tertius de-

denique est Lib. XIII. c. 12. in quo de industria idem probare nititur. Hic ergo Philosophus nequaquam spernebat Ethnicorum Scripta, cum ea ad sententias Judaïcas summa vi trahere conaretur.

Credibile est fuisse & alios Judæos, qui magni facerent Ethnicorum Philosophiam, quandoquidem Scriptor libri *Sapientiæ* ex ea desumsit opinionem de animorum προϋπάρξει, ut liquet ex Cap. VIII, 19. & 20. Παῖς δὲ ἤμην εὐφυὴς, ψυχῆς τε ἔλαχον ἀγαθῆς, μᾶλλον δὲ ἀγαθὸς ὢν ἦλθον εἰς σῶμα ἀμίαντον: *puer eram bonæ indolis, animam sortitus eram bonam; aut potius, cum bonus essem, veneram in corpus purum.* Ad quem locum consulendus *Hug. Grotius*, ut & ad Joan. IX, 2. Hanc opinionem nemo, ut opinor, existimat ex Vetere Testamento haustam, nec Platonicam esse quisquam dubitabit.

Postea *Philonem* fuisse, Platonica doctrina madentem, antea satis ostendimus; nec res potest esse dubia ei, qui *Platonem* & Philosophum Alexandrinum legerit. Elogia hujus proferri a me nihil necesse est, cum in fronte ejus Operum legantur.

Sed & integras Judæorum sectas a Græcis mutuas accepisse opiniones & loquutiones, quibus alteram vitam describebant constat ex *Josepho* Ant. Jud. Lib. XVIII. c. 2. & de Bello Jud. Lib. II. c. 12. Ut a Pharisæis initium faciam, sic eorum sententiam describit *Josephus*, in Ant. Judaïcis: Ἀθάνατόν τε ἰσχὺν

ἰσχὺν ταῖς ψυχαῖς πίστις αὐτοῖς εἶναι, καὶ ὑπὸ χθονὸς δικαιώσεις τε καὶ τιμὰς, οἷς ἀρετῆς ἢ κακίας ἐπιτήδευσις ἐν τῷ βίῳ γέγονε· καὶ ταῖς μὲν εἱργμὸν ἀΐδιον προστίθεσθαι, ταῖς δὲ ῥαστώνην τοῦ ἀναβιοῦν: *Immortalem vim inesse animabus fides apud illos est, & sub terra pœnas & præmia esse iis, quibus aut virtuti aut vitio adfinis ratio vivendi fuit in vita, & aliis quidem æternum vinculum addi, aliis vero facultatem concedi ad vitam redeundi.* In Vetere Testamento nusquam legere est loca, in quibus homines, post hanc vitam, præmia accipient & pœnas dabunt, esse sub terra; at multis hoc habetur, cum alibi passim, apud Ethnicos Scriptores, tum præsertim in *Platonis* Phædone, sub finem. In Vetere Testamento nusquam legimus malos quidem æterno vinculo sub terra constrictos manere, bonos vero fato functos ad vitam hancce redire; at similia legere licet in Dialogo *Platonis*, quem memoravi. Rem paullo clarius repetit *Josephus* de Bello Judaïco Lib. II. c. 12. ubi ait, ex Pharisæorum sententia, ψυχὴν πᾶσαν μὲν ἄφθαρτον, μεταβαίνειν δὲ εἰς ἕτερον σῶμα, τὴν τῶν ἀγαθῶν μόνην. τὴν δὲ τῶν φαύλων ἀϊδίῳ τιμωρίᾳ κολάζεσθαι: *omnem quidem animam incorruptam esse, sed solam bonorum animam transire in alterum corpus, malorum vero æterna pœna plecti.*

Audiamus vero quid Esseni de altera vita dicerent. Existimabant, ut idem *Josephus*, eodem in loco, prodidit, τὰς ψυχὰς ἀθανά-

νάτους ἀεὶ διαμένειν, καὶ συμπλέκεσθαι μὲν ἐκ τοῦ λεπτοτάτου φοιτώσας αἰθέρος, ὥσπερ εἱρκταῖς, τοῖς σώμασιν ἴυγγι τινὶ φυσικῇ κατασπωμένας: *animas immortales semper manere, atque ex æthere subtilissimo venientes, quasi carceribus, ita corporibus implicari, naturali quadam illecebra ad inferiora detractas.* Hic perspicue quidem habemus Platonicam προΰπαρξιν animorum, de qua in Prophetarum Scriptis nec vola, nec vestigium; sed digna sunt sequentia, quæ a nobis pensitentur: ἐπειδὰν δὲ ἀνεθῶσι τῶν κατὰ σάρκα δεσμῶν, οἷον δὴ μακρᾶς δουλείας ἀπηλλαγμένας τότε χαίρειν καὶ μετεώρους φέρεσθαι· καὶ ταῖς μὲν ἀγαθαῖς, ὁμοδοξοῦντες παισὶν Ἑλλήνων, ἀποφαίνονται τὴν ὑπὲρ ὠκεανὸν δίαιταν ἀποκεῖσθαι, καὶ χῶρον οὔτε ὄμβροις, οὔτε νιφετοῖς, οὔτε καύμασι βαρυνόμενον, ἀλλ' ὃν ἐξ ὠκεανοῦ πρᾳὺς ἀεὶ ζέφυρος ἐπιπνέων ἀναψύχει. ταῖς δὲ φαύλαις ζοφώδη καὶ χειμέριον ἀφορίζονται μυχὸν γέμοντα τιμωριῶν ἀδιαλείπτων: *postquam vero aufugerint e carnalibus vinculis, quasi a longo carcere liberatas lætari ac sublimes ferri. Et bonis quidem animabus, consentientes cum Græcorum filiis, ajunt repositam esse habitationem trans Oceanum, & locum neque imbribus, neque nivibus, neque æstibus incommodum, sed quem ex Oceano lenis semper Zephyrus flans refrigerat. Malis vero tenebricosum & procellosum tribuunt secessum, plenum indesinentibus pœnis.* Hæc si Esseni didi-

cc-

cerunt ex Prophetis, quos etiamnum habemus; fatendum est nos esse non luscitiosos, sed cæcos prorsus, qui nihil simile in eorum libris animadvertere possumus. Verum hæc, apud *Homerum*, Antiquiorem sine dubio Essenorum secta, ita descripta habemus, ut si non Esseni ab eo sumserint, *Josephus* ipse sit necessario furti insimulandus. Sic enim *Homerus* campus Elysios poëticis coloribus pingit Odyss. Δ. vers. 565. & seqq.

Τῇπερ ῥηΐστη βιοτὴ πέλει ἀνθρώποισι,
Οὐ νιφετὸς, ὔτ' ἂρ χειμὼν πολὺς, ὔτε ϗ ὄμβρος,
Ἀλλ' αἰεὶ Ζεφύροιο λιγυπνείοντας ἄητας
Ὠκεανὸς ἀνίησιν, ἀναψύχειν ἀνθρώπυς.

*Ubi beatissima est videndi ratio hominibus; non nix, neque hiems* (aut *procella*) *multa, neque imber; sed semper Zephyri suaviter spirantes auras Oceanus mittit, ut refrigerent homines.* Nemo non agnoscit *Homerum* in *Josepho;* at ut intelligas superbiam Judaïcam, quæ nihil aliis acceptum refert, omnia sibi deberi vult, audi hominis sequentia verba: Δοκῦσι δέ μοι κατὰ τ̀ αὐτὴν ἔννοιαν Ἕλληνες, τοῖς τε ἀνδρείοις αὐτῶν, ὓς Ἥρωας ϗ Ἡμιθεὺς καλῦσι, τὰς μακάρων νήσυς ἀναπεθεικέναι. τ̀ δ̀ τ̀ πονηρῶν ψυχαῖς, καθ' ἅδυ τ̀ ἀσεβῶν χῶρον, ἔνθα ϗ κολαζομένυς τινὰς μυθολογῦσι, Σισύφυς ϗ Ταντάλυς ϗ Ἰξίονας

ϗ

ϗ Τιτυὺς, πρῶτον μὲν ἀϊδίους ὑφιστάμενοι τὰς ψυχὰς, ἔπειτα δ' εἰς προτροπὴν ἀρετῆς ϗ κακίας ἀποτροπήν: *Videntur autem mihi, secundum hanc notionem, Græci viris quidem fortibus, quos Heroas & Semideos vocant, beatorum Insulas tribuisse; improborum vero animis in inferis impiorum locum, ubi & quosdam plecti fabulantur Sisyphos & Tantalos, & Ixionas & Tityos; statuentes quidem primum animas esse immortales, deinde ut ad virtutem homines adducant, & a vitio deterreant.* Non aliter loqueretur *Josephus*, si *Homerus* fuisset Propheta Hebræus, a quo Græcorum Poëtæ sua desumsissent. Atque hinc liquet non facile esse credendum Judæis, adfirmantibus sibi a Græcis multa deberi; cum ita loquatur *Josephus*, in manifesto furto deprehensus. Possemus addere Pharisæos quod de fato sentiebant a Stoïcis mutuatos; imo & loca proferre LXX. Interpretum, & Scriptorum Apocryphorum, ex quibus liqueret sumsisse eos voces ac loquutiones a Græcis, ubi de altera vita loquuntur; quibus nullæ similes respondent Hebraïcæ, in priscorum Prophetarum Scriptis. Verum de hisce forte alias agam.

Exempla adlata satis ostendunt Paulum, non sine gravi ratione, dixisse Jesum Christum φωτίσαι ζωὴν ϗ ἀφθαρσίαν διὰ τοῦ Εὐαγγελίου, *in clariore luce collocasse vitam & immortalitatem per Evangelium*, 2 Tim. I, 10. cum vulgo Judæi ex Poëtis, Philosophisque Ethnicis desumerent loquutiones, quibus exprimebant quod de ejusmodi rebus sentiebant.

In

Indidem intelligere licet eumdem Apoſtolum non temere monuiſſe Coloſſenſes, *ut viderent ne quis eos deciperet per PHILOSOPHIAM & inanem fallaciam, ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi, & non ſecundum Chriſtum*, Cap. II. 8. Hæc enim ſpectant Judæos neſcio quos, Philoſophia Platonica imbutos, ut liquet ex verſ. 16. in quo poſt longam parentheſin ad rem, de qua cœperat loqui verſ. 8. redit Apoſtolus: *Nemo ergo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei, aut Neomeniæ, aut Sabbathorum; quæ ſunt umbra futurorum, corpus autem Chriſti. Nemo vos ſeducat volens in humilitate & religione Angelorum, in ea quæ non vidit ambulans, fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ* &c. Legendi ad hoſce verſus ſunt *Hug. Grotius* & *Henr. Hammondus*; quorum tamen poſterior hæc videtur fruſtra trahere ad Gnoſticos, cum commodiſſime intelligantur de Judæis Philoſophia Ethnica abutentibus. Iis lectis, ſatis liquebit Judæos Platonicos ſpectari, a quibus poterant Chriſtiani, niſi ſibi caverent, παραλογίζεσθαι ἐν πιθανολογίᾳ, *falli probabilibus ſermonibus*, ut antea loquitur Paulus.

Eodem pertinent iteratæ ejuſdem Apoſtoli admonitiones, in 1. ad Timotheum, ubi Cap. I, 3, 4. ait ſe eum reliquiſſe Epheſi, *ut denunciaret quibusdam ne aliter docerent, neve intenderent fabulis & genealogiis interminatis, quæ quæſtiones præſtant magis, quam ædificationem Dei, quæ eſt in fide*; & Cap. IV, 7. jubet Timotheum *profanas & aniles fabulas* *de-*

*divitare.* Eosdem homines notat & Cap. VI, 3, 4. 5.

Quanti momenti hoc esset monitum, sequentia tempora luculenter ostenderunt. Constat enim antiquissimos quosque Hæreticos sua dogmata, Christianismi atque Philosophiæ Ethnicæ mistura quadam absurda, conflasse. Quam in rem, ne plures ad testimonium citare necesse sit, unum audiamus *Tertullianum* cujus hæc sunt verba in Libro de Præscriptione Hæreticorum Cap. VII. *Hæ sunt doctrinæ hominum & dæmoniorum, prurientibus auribus natæ de ingenio sapientiæ sæcularis; quam Dominus stultitiam vocans, stulta mundi in confusionem etiam ipsius Philosophiæ elegit. Ea est enim materia sapientiæ sæcularis, temeraria interpres divinæ naturæ & dispositionis. Ipsæ denique Hæreses a Philosophia subornantur. Inde Æones & formæ nescio quæ, & trinitas hominis apud* Valentinum; *Platonicus fuerat.* ——— *Eadem materia, apud Hæreticos & Philosophos, volutatur; iidem retractus implicantur: unde malum & quare? & unde homo & quomodo? & quod proxime* Valentinus *proposuit, unde Deus? Scilicet, de ecthymesi & ectromate. Miserum* Aristotelem, *qui illis Dialecticam instituit, artificem struendi & destruendi, versipellem in sententiis; coactam in conjecturis, duram in argumentis, operariam contentionem, molestam etiam sibi ipsi, omnia retractantem, ne quid omnino tractaverit. Hinc illæ* fabulæ & genealogiæ interminabiles & quæstiones *infructuosæ & sermones serpentes velut cancer; a qui-*

*bus nos Apostolus refrænans nominatim contestatur Philosophiam caveri oportere scribens ad Colossenses ;* videte ne quis vos circumveniat per Philosophiam & inanem seductionem, secundum traditionem hominum, *præter providentiam Spiritus Sancti.* Libro vero contra Hermogenem, Cap. VIII. eidem dicuntur *Hæreticorum Patriarchæ Philosophi ;* & Lib. de Anima Cap. XXIII. *Examen,* inquit, Valentini *semen Sophiæ infulsit animæ, per quod historias atque Milesias Æonum suorum ex imaginibus visibilium recognoscant. Doleo bona fide* Platonem *omnium hæreticorum condimentarium factum. Illius est enim & in* Phædone, *hinc euntes sint illuc, & inde huc. Item in* Timæo *quod genimina Dei, delegata sibi mortalium genitura, accepto initio animæ immortali, mortale ei circumgelaverint corpus. Tum quod mundus hic imago sit alterius alicujus. Quæ omnia ut fidei commendet, & animam retro in superioribus cum Deo egisse in commercio idearum,* & *inde huc transvenire, & hic retro norit de exemplaribus recensere; novum elaboravit argumentum,* μαθήσεις ἀναμνήσεις, *id est, discentias reminiscentias esse. Venientes enim inde huc animas oblivisci eorum, in quibus prius fuerint, dehinc ex his conspicuis edoctas recordari.*

Hinc sat manifesto intelligere est antiquissimos quosque Hæreticos ex Philosophia *Platonis* multa hausisse, ut dogmata sua confingerent. Sed non Hæretici modo, verum etiam docti homines, qui in rectius sentientium communione obierunt, nimio Platonis-

nismi studio, Theologiam Christianam, ut antea Judaïcam *Philo*, ejus commentis corruperunt. Malo rem alienis verbis exprimere, quam meis, ne *Ventidius*, aut alius ei similis me seorsim ab aliis sentire putet. Audiat ergo Reverendiss. Antistitem, & virum longe doctissimum *P. Dan. Huetium*, Origenian. Lib. II. c. 1. sic loquentem, eademque opera ab eo discat quid sit de *Philone* sentiendum, quod a me discere noluit: *Unum ergo præ reliquis Platonem* (Origenes) *admiratus est; sic ut Christiana dogmata ad Platonicæ doctrinæ leges, non ipsam* Platonis *doctrinam ad Christi effata ADCOMMODARET. Exemplo suo Origenem eo compulit PHILO Judæus, totus ad* Platonis *exemplum compositus; non* Platoni *nimium tribuendo dumtaxat, sed Scripturam etiam allegoriis perpetuis explanando. Compulit & Præceptor illius* Clemens Alexandrinus, *Academiæ pigmentis res Christianas illustrare suetus; quod & maxima pars fecit vetustiorum Patrum, sed parcius & verecundius. His itaque Platonicorum deliriis sincerum doctrinæ Christianæ vas postquam incrustavit* Adamantius, *ex illo doctrina ejus corrupta est, & profanis imbuta erroribus, unde infinitis jactatus conviciis, & querelis in summas incidit calamitates, & laudem meritis partam decoxit.*

Ex hisce intelligere est periculosam fuisse non Philosophorum tantum Ethnicorum, sed *Philonis* etiam lectionem; hancque incautis eo periculosiorem, quod multis in rebus instar Christianorum loquatur, & a Polytheïsmo

mo abhorrere, utpote Judæus, censeatur. Non modo *Clemens* & *Origenes*, ut animadvertit *Huëtius*, ejus loquutionibus decepti sunt, sed & *Eusebius*; qui hominis Platonici Tritheïsmum cum Christiana Trinitate miscuit, & alios multos Veteres & Recentiores fefellit.

Quod cum ita sit, quid mirum si Joannes Apostolus, qui multis forte annis post *Philonis* mortem scripsit, & videbat quanta in existimatione esset, obiter initio Evangelii sui ostenderit, quo sensu liceret uti voce Λόγος, docueritque Christianos ἐνυπόστατον Λόγον non esse alterius naturæ, non tantum specie, sed etiam numero, ita ut ὁ Θεὸς & ὁ Λόγος sint unus idemque Deus proprie dictus? Certe Spiritus divini, quo Joannes agebatur, providentia indignum non fuit tam periculosum errorem antevertere.

At *Ventidius* noster (*) hic negat *Philonem* a Joanne lectum fuisse, aut cum *Platone* collatum; quasi hæc ego uspiam adfirmassem. Dixi dumtaxat *Philonem* videri *notum* fuisse Joanni, sed lectum non contendi. Potuit Joannes accipere quæ essent dogmata *Philonis*, loquutionesque ejus aliquot insigniores, ab aliis qui ejus Opera legerant; potuit curare ut sibi nonnulla ex iis prælegerentur; quamvis numquam studiose ipse, ut nunc solemus, eum aut ejusmodi alium Scriptorem versarit. Nihil tamen vetat ut ipse, oculis suis, non-nul-

(*) *Pag. 40. de vocabulo* λόγος.

nulla sibi indicata legerit. Sic *Hug. Grotius* ad Heb. IV, 12. non sine ratione, credidit Scriptorem Epistolæ ad Hebræos legisse *Philonem*, ob multarum loquutionum, cogitationumque similitudinem; cujus plura in ejus Adnotationibus occurrunt exempla; quibus adde id quod adnotavimus ad Cap. I, 3.

Sed *legerit Joannes Philonem*, inquit P. Ventidius, *haud tamen sequitur vocabula ex Platonismo jam dudum in veram Religionem illata curiose observasse, & adversus eorum abusum Lectores monere voluisse.* Atqui verisimillimum est eum qui *Philonem* legit, & ita loquitur, ut voces ab eo frequenter usurpatas adhibeat, sed in sensum diversum & rectum, voluisse obiter emendare peccata a *Philone* admissa, & usu suo legitimam earum vocum potestatem ostendere; cum præsertim, ut ostendi, ejusmodi vocabula ac placita & anteriores & posteriores ætates fefellerint. Sed falli videtur *Ventidius*, quod de antiquis temporibus & hominibus judicet ex hodiernis: ut solent, qui non satis adtente Veterum libros legerunt. Parvi facit *Philonem* & Philosophiam Platonicam, nec quidquam sibi nunc ab iis timet; ideoque numquam quidquam ab iisdem timendum fuisse Christianæ Theologiæ censet. Fallacissima sunt omnia ejusmodi judicia, de rebus antiquis; de quibus numquam recte judicamus, nisi nostræ ætatis veluti obliti opiniones & ingenia Veterum dumtaxat spectemus. Itaque

illi auctor sim ut posthac non ita facile de rebus antiquis, ex hoc ævo nostro, judicet.

Monitum etiam velim, ut libros eorum, quos sibi oppugnandos deligit, adtentius & sedatiore animo legat; ne eas illis tribuat opiniones, quas minime tuentur. Exprobrat mihi a me induci Joannem scribentem *haud secus ac si, hac in parte, Scholiasten Platonis, aut Philonis egerit vir Dei.* Quod est perabsurdum, cum tota mea disputatio eo spectet, ut ostendam Joannis animum fuisse docere quo sensu possent adhiberi voces nonnullæ a *Philone*, & ab aliis Judæis usurpatæ, ne fallerent Christianos. *Scholiastis* ne hoc munus est, an potius confutatoris? Demonstravi Judæos dudum cœpisse Philosophia Platonica abuti, ante tempora Joannis, Paulumque monuisse Christianos, ut ab ea sibi caverent. Addo videri etiam Joannem obiter notare qui, sano sensu, possent usurpari voces nonnullæ insigniores, in Judaïcam Theologiam ab iis illatæ; an hoc est fingere Joannem esse *Scholiasten Platonis aut Philonis?* Pari jure dixeris me *P. Ventidii* esse *Scholiasten*, in hisce litteris, quibus eum confutavi.

Plura non addam, ad defendendam conjecturam meam, de consilio Joannis; nec adgrediar ceteris calumniis, aut contumeliose dictis *P. Ventidii* quidquam reponere. Infelicissima esset conditio bonorum omnium, qui maximo labore suo co-

conantur tenebris Antiquitatum Sacrarum & Profanarum lucem aliquam adferre; si, quotiescumque liberet *Ventidiis* ἀνεμώλια βάζειν, omnibus relictis, serio essent confutanda, quæ nulla ex re ortum ducunt, nisi ex malignitate aut invidia. Itaque ea missa facio, nec quidquam a lectoribus, si qui sint, contumeliosorum illorum Scriptorum peto; nisi ut cohibeant judicium, donec mea quoque legerint. Quod æquissimum postulatum si ab eis impetro, salva res est; si vero mihi negant, aut si, re minime expensa, possunt favere *Ventidio*; nihil est quod pluribus verbis causam meam apud eos agam, qui me audire nolunt. Si tamen ab adversariis offeratur mihi occasio inquirendi in rem quampiam, cujus plenior cognitio aut jucunda, aut utilis esse possit, non decro officio meo; & ita Veritatem investigabo, ut adpareat me ejus solius amore captum, non cupiditate infamandi cujusquam, aut turpis gloriæ ex aliena ignominia captandæ. Quam animi adfectionem, L. CANDIDE, & *Ventidio*, & ceteris omnibus ejusmodi hominibus ex animo, ita me Deus amet, precor, haud secius quam mihi ipsi. Tu vero amicos nostros, quid de tota hac concertatione dicam, docebis; quos ego tecum disceptatores totius negotii esse volo. Quod ut facilius fieri queat, Litteras ad te scriptas edere constitui. Neque hoc erit forte unum volumen ejusmodi Litterarum, quod

emittam; nam multa habeo propemodum parata. Optarim quidem ea edere, sine cujusquam confutatione, sed si aliter, per importunos homines, non liceat; id ipsi sibi tribuant, non mihi, qui nihil, nisi Pacem & Veritatem, sine ullius insectatione, quæsivi. Vale.

*Dabam Amstelodami, Calendis Augusti*

cIɔ Iɔc xcix.



EPIS-

# EPISTOLA X.

Ad Amicum Anglum,

## DE VERSIONE ANGLICA

*Additamentorum ad Adnotationes*

## HENRICI HAMMONDI

In Novum Teſtamentum; ubi & nonnulla de *Arte Critica.*

CUM ad me transmiſſa eſſent aliquot folia Verſionis Anglicæ Additamentorum meorum ad doctiſſimi viri *Henr. Hammondi Adnotationes in Novum Teſtamentum*, eaque perlegiſſem; probavi quidem fidem ac diligentiam Interpretis, nec dubitavi quin cetera, quæ nondum vidi, pari cura eſſet interpretaturus; ſed cum apud animum meum reputarem quam iniqua interdum ſint judicia eorum, qui vernaculæ dumtaxat Linguæ periti legunt ejuſmodi Scripta, an gaudendum propterea mihi eſſet dubitabam. In vulgus, nimirum, ſparguntur expendenda, quæ interdum ſunt ſupra vulgi captum poſita; nam hic non pauca ſunt quæ, quamvis Anglice

expressa, non possunt intelligi nisi a Græcæ Linguæ, & Antiquitatum Profanarum ac Ecclesiasticarum aliquatenus peritis. Alii certe de iis satis tuto judicare nequeunt, cum vis argumentorum sæpe tota pendeat ex cognitione usus Linguæ Græcæ, aut Ecclesiasticæ, Profanæve Historiæ. Attamen nulli confidentius de hisce rebus judicium ferunt, quam qui ea cognitione destituuntur; quod putent se posse judicare de iis omnibus, quæ vernacula Lingua scripta sunt. Quamobrem sæpe miratus sum doctissimum illum virum, cujus Adnotationes in Linguam Latinam transtuli, non maluisse Latine potius scribere, quam Anglice; cum probe nosset multa, imo optima quæque, a se in iis ita scripta esse, ut a Lectoribus Anglice dumtaxat scientibus satis intelligi non possent. Nesciebam etiam an nonnullis eruditis viris, in Anglicanæ vestræ Ecclesiæ Clero, satis probanda esset translatio Additamentorum meorum; non quod, ullo in loco, Ecclesiæ Anglicanæ placita oppugnarim; sed quod multi, nescio quare, ægre patiantur libros peregrinorum a popularibus suis legi. Expertus hoc sum & antea & non ita pridem, cum quispiam mihi prorsus ignotus, me nescio atque inconsulto, Anglice vertit Vitas aliquot Patrum; quas Gallico sermone scripseram jam dudum, in *Bibliotheca Universali*. Eæ enim Vitæ Anglicæ, quas nondum vidi, in me concitarunt virum doctum *Guil. Caveum*, qui de Gallicis Vitis nihil forte dixisset; certe hactenus tacuerat, cum revera non esset cur in me

me propterea inveheretur, ut superioribus Epistolis ostendi. Atqui nemo fortasse est cis mare, qui pluris faciat eruditionem Cleri Anglicani, aliorumque ejusdem gentis doctorum virorum, quam ego, quique eam frequentius & ore & scriptis prædicet; non profecto adulandi studio, (nam quæ commoda hinc ad me, qui in Hollandia sedem dudum fixi, redeunt, aut redire possunt?) sed quia ita ex animo sentio. Quin etiam rebus ipsis hoc ostendi, qui non unius Scripta verti in Linguas notiores, quam est Anglica, ut omnes Anglicæ gentis eruditione fruerentur. Quæ ergo causa esse potest, cur nolint nonnulli Angli nostra Scripta sermone Anglico legi? Non intelligo, nec mihi tanti est, ut anxie in rem inquirere necesse habeam.

Verum pacis amanti, & alienissimo ab omnibus rixis, satius forte fuisset me Latinæ Linguæ latebris, ut ita dicam, tectum, nec imperiti vulgi temeraria judicia timere, nec iram doctorum, qui se solos a vulgo audiri volunt, concitare. Attamen quoniam jacta est alea, & me Anglice loquentem popularibus suis sistere voluit Bibliopola, nonnulla te, Vir Amicissime, monebo, quibus fortasse iniquiora quorumdam amoliri possim judicia.

Ex quo editus est *Hammondus* meus, vidi quidem hominis famam longe maximam fuisse, ex venditione exemplarium; quorum jam magna copia volitat per totam Europam, & Studiosorum Litterarum Sacrarum manibus teritur. At aviditas emtorum ac lectorum

non

non obſtitit, quo minus varia de hoc meo labore eſſent judicia, cum amicorum meorum, tum etiam aliorum. Horum nonnullorum ad me pervenit notitia, quibus paucis hic aliquid reponam.

Sunt qui nollent me tantum temporis & laboris inſumſiſſe in vertendo *Hammondo*, ſed ipſum potius novam Paraphraſin Novi Teſtamenti ſcripſiſſe, adjectis iis quæ ab aliis Interpretibus prætermiſſa putabam. Hi nimis benigne de me, nec ſatis honorifice de viro doctiſſimo ſentiunt. Ego vero, qui me & illum propius novi, & me meo metiri pede ſcio, honori duco tanti viri purpuræ meos centones adſui; ſi modo liceat per alios, qui in contraria prorſus ſunt ſententia. Me autem non ficta modeſtia, ſed ex animo loqui, ſat clare oſtendit ingens labor quem *Hammondi* cauſa, potius quam mei ipſius, ſuſcepi; niſi enim Scripta ejus magni feciſſem, numquam tantum volumen vertiſſem; nec voluiſſem quidquam addere inanibus commentis, aut tempus terere in iis confutandis, quorum futilitatem omnes viderent. Ac ſane cum tria poſtulentur in Interprete, ſine quibus nihil eximium ab eo exſpectari poteſt, & quæ, ſi quis iis præditus ſit, male faciat niſi in utilitatem publicam exſerat; ea in *Hammondo* noſtro repcriebantur, ut mihi quidem videtur, omnia. Hæc autem ſunt peritia cum Linguæ, qua utitur Scriptor quem interpretamur, tum etiam rerum de quibus agit, diuturna, atque adtenta lectio ejus Scriptoris, ita ut ſtylum, ac diſpoſitionem illius in nu-

me-

merato habeamus; ac denique facultas quædam critica aut grammatica, longo usu adquisita & lectione adsidua optimorum Interpretum firmata, qua fit ut ea quæ tenemus de Lingua & rebus, apte ac scienter, ubi opus est, in usum revocare possimus.

Fuit vero *Hammondus* non modo Theologiæ Christianæ peritissimus, sed etiam Linguæ Græcæ, ad quam accedebat Hebraïca; cujus idiomata frequentissime miscent Scriptores Novi Testamenti eloquutioni Græcis vocibus constanti. Qui sunt tantum Theoriæ Theologicæ periti ii persæpe cespitant, in singularibus locis, quæruntque passim dogmata, vera quidem illa interdum, sed ad rem nihil facientia, in locis, in quibus non sunt; & locis, in quibus revera latent, opportune uti nesciunt. Satis habent nihil alienum a consecratis dogmatibus scribere, putantque non posse a se peccari, in iis quærendis, ubicumque libet, modo ne verba nimis aperte repugnent. Qua in re, videmus antiquissimos Scripturæ Interpretes, Græcos & Latinos, quod verborum & Grammaticæ securi dogmatum dumtaxat veritatem adtenderent, mirum in modum aberrasse a vero sensu locorum. Hinc partim natæ sunt innumeræ inanes Allegoriæ; quas non inanes voco, quod falsas doctrinas complectantur, sed quod nulla certe ratione nitantur. Hinc prodierunt coactæ interpretationes, & miseræ argutiæ, quibus scatent eorum Interpretum Scripta. Legantur vel unius *Augustini* Commentarii in Psalmos, ubi vix ulla occurret pagina, in

qua

qua ejus rei non inveniantur plura exempla. Quæ si vera esset ratio interpretandi, quidvis fere e Scriptura probari atque oppugnari posset, ope cujusvis loci. Vitavit hoc diligenter *Hammondus*, & aliquanto amplius vitasset, nisi animo ejus nonnulla paullo sæpius quam opus erat se se obtulissent; qualia sunt *Hæresis Gnosticorum*, *Jerosolimitanum exscidium* & *Disciplina Ecclesiastica* seu *Excommunicatio*; quæ tria non raro quæsivit, ubi a nemine perito styli Apostolorum quæsita fuerant, & a paucis posthac quærentur. Attamen, ut dixi, multo infrequentius ad hunc scopulum impegit *Hammondus*, quam Veteres, & plerique etiam Recentiores Interpretes, præsertim qui præterito sæculo scripserunt. Possit etiam & hoc addi, quod ad commendationem etiam Adnotationum non parum facit; quod eam Theologiæ rationem, magna ex parte, sit sequutus, quæ melius cum Scriptura Sacra consentit, quam multorum Interpretum opiniones; quippe qui mediam viam tenet, inter eos qui fatalem quamdam necessitatem ab omni æternitate deducunt, cujus necessitatis merum est instrumentum mens humana; & eos qui, instar Ethnicorum, virtutem ullo modo Deo deberi negasse dicuntur.

Quisquis legerit ejus Adnotationes, non dubitabit an esset altera illa dote egregii Interpretis præditus; quam diximus sitam esse in adcurata cognitione styli Librorum Sacrorum, quæ nonnisi diuturna & diligenti lectione comparari potest. Profecto pauci sunt In-

Interpretes, in quibus tanta Litterarum Sacrarum ſcientia deprehendi queat. Frequens illa & adcurata comparatio loquutionum & vocum ſacrarum inter ſe, quæ Lectori volumen aperienti illico ſeſe objicit, rem extra omnem controverſiam collocat.

Tertia dos, quam dixi eſſe facultatem criticam judicandi de ſententia locorum, ſi in eo tanta non fuit ac ſuperiores, at minime erat ſpernenda. Quam ego cum adtenta lectione optimorum Scriptorum, tum præſertim *Hug. Grotii*, adeptum eum eſſe non dubito; & quam majorem multo comparaturus erat, niſi perpetuus labor defendendæ Eccleſiæ Anglicanæ, contra varia adverſariorum genera, eum diſtinuiſſet. Sed ſi comparetur cum antiquis Interpretibus, aut cum plerisque etiam, qui patrum noſtrorum memoria ſcripſerunt; inter Veteres nullum, inter Recentiores paucos inveniemus, qui cum eo poſſint æquiparari. Veteres enim, quamquam Græce docti, multo magis nitebantur ſua dicendi facultate, quam Linguæ peritia; multo libentius in locos communes, aut in allegorias excurrebant, quam ſerio verba & loquutiones interpretabantur. *Origenes* & *Hieronymus*, qui Hebraïce etiam, præſertim poſterior, ſciebant, quamvis tanta non eſſet eorum hac in re eruditio, ac vulgo creditur, multo quoque rarius uſi ſunt ea ſua eruditione, quam eloquentia, qualis eorum ævo probabatur. Recentiores vero Interpretes ſuam Theologiam & Controverſias, cum aliis Chriſtianorum familiis, ſtudioſius intrudunt

in

in ſuos Commentarios, quam diſquiſitionibus adcuratis, de ſignificatione loquutionum & vocum, operam dant. Verum *Hammondus* noſter, memor eorum quæ ab Interprete exſpectantur, nec ignarus diſcriminis quod eſt inter Concionatorem aut Theologum, & Interpretem, immoratur iis quæ ſunt Interpretis, cetera fere prudenter omittit.

Quæ cum ita ſint, nemo merito dicere queat a me horas male eſſe collocatas, quas impendi vertendis *Hammondi* Adnotationibus, iisque illuſtrandis, caſtigandis, atque augendis. At prout ſunt hominum judicia, non ex Veri ſtudio ſed ex adfectu manantia; alii exorti ſunt qui ſeu ſerio, ſeu ſimulantes contendunt me quidém non male feciſſe quod *Hammondum* verterim; ſed quod ejus Adnotationibus adſuerim ea, quibus illum non raro erroris argui, aut alioquin ab ejus ſententia aliena; quaſi omnia aut probare neceſſe mihi eſſet, aut ita me eum revereri oporteret, ut non auderem palam teſtari me exiſtimare minus feliciter quædam loca interpretatum.

Verum, ut hiſce hominibus ſatisfaciam, ſi modo ſibi ſatisfieri velint, ab iis libenter quæſiverim, utra majoris fieri debeat, fama *Hammondi*, an Veritas? Exiſtimatio hominis dudum mortui, & cujus placita nos ſequi jus nullum divinum, aut humanum cogit: an Veri numquam intermorituri & a quo deficere nos nec Deus, nec homines ſinunt, defenſio? Si ſint eo ingenio, ut malint famam Theologi doctiſſimi quidem, ut dixi,

at

at errori obnoxii, tueri, quam Veritatem, ne tria quidem verba cum illis commutare sustinuerim. Nullum erit mihi bellum, cum ejusmodi hominibus, Veritatis palam inimicis; quos, absque responso, ipsorum atræ bili conficiendos relinquam. At magnorum virorum, inquiunt, sunt peccata dissimulanda, potius quam exaggeranda. Ego vero nihil uspiam exaggeravi, & mollissimis verbis eum confutavi, sicubi errare putabam. At non censeo dissimulanda peccata vel maximorum virorum, qui quo majores habentur eo plures incautos fallere possunt; ideoque sunt in rectam viam, sicubi ab ea deflectant, maxime omnium revocandi. Condonanda sunt illis peccata, ferendæ eorum aberrationes, propter majores multo virtutes, & insigniora erga Rempublicam Litterariam merita; sed non, prava dissimulatione, ferme Veritatis loco habendi sunt errores. Quicumque Litteras colunt, & præsertim Sacras, eos summa ope eniti decet, & certatim adlaborare, ut ubique & per omnia Veritas eluceat; non ut dissimuletur, in gratiam cujusquam, aut error ejus loco colatur. Hoc unum carpi merito possit in iis, qui viros magnos castigant, si falso, si acerbe, si maligne eos reprehendant; non ut Veritas notior fiat, sed ut eorum minuatur fama; si ingentia eorum merita obscurare adgrediantur, in exigua vero delicta, quasi in minime condonanda peccata, inclementer invehantur.

Cum vero hallucinationes in viris, de Republica Litteraria ceteroqui bene meritis,

modeſte notantur, eo dumtaxat animo, ne quis imprudens eos errantes ſequatur; tantum abeſt ut merito queri poſſint ii, qui viros egregios magni faciunt; ut ſi ipſi illi magni viri reviviſcerent, ſine animo ingratiſſimo atque intolerandæ ſuperbiæ nota, non poſſent non agere gratias iis qui errantibus comiter viam monſtraſſent. Non ea eſt humani ingenii conditio, ut ſine ullo errore vivamus; & maximis laudibus efferuntur non qui numquam errarunt, ſed qui quam minime, aut in rebus demum exigui momenti hallucinati ſunt. Ne ergo ita laudemus homines, quaſi magnitudo ingenii, aut eruditionis eos communi errandi periculo exemiſſet; nec eos e contrario ex magnorum virorum numero detrahi putemus, quod erroris cujuſpiam arguantur, Ego ſane ita ſentio de *Hammondo*, evolutis ejus Scriptis, ut paucos Theologos aut Interpretes Scripturæ pares illi vixiſſe putem; quamquam ab ejus ſententia non raro abivi, & erraſſe eum aliquando oſtendi. *Hug. Grotium* nemo pluris facit, nemo lubentius ac frequentius laudat, quam ego; eum tamen & hic, & alibi interdum confutavi, ſine ulla exiſtimationis, aut reverentiæ erga eum meæ imminutione. Non amo eorum indolem, qui nec in laudibus, nec in probris modum ullum ſervant. Laudanda, ſine invidia, quæ laudibus digna ſunt; improbanda, ſine malignitate, quæ a Vero diſſentiunt.

Verum aliena miſcere, inquiunt, *Hammondianis* non debuiſti. Quidni? nam tribuenda quidem ei non eſſe quæ non dixit fateor;

ſteor; ſed in Opere tamdiu poſt ejus mortem edito, & quidem alia Lingua, non video cur non licuerit addere quæ videbantur ei deeſſe; quamvis illa fortaſſe aliquando ipſe improbaret, ſi in vivis eſſet. In ejus uſum hoc opus non edidi, ſed eorum qui nunc vivunt, aut poſthac erunt Veri merito amantiores, quam *Hammondi*. Quibus noſtra diſplicent, ea non emant. Exſtat Opus *Hammondi* aliquoties Anglice recuſum, quo ſolo uti poſſunt. Annon edita ſunt ingentia Opera & in Anglia & in Belgio, in quibus una leguntur Commentarii virorum eruditorum, & Pontificiorum & eorum qui a Romana Eccleſia ſeceſſerunt, graviſſime inter ſe diſſidentium? Quis propterea, vel inter ipſos Pontificios, indignatus eſt, aut non potius conſilium ſummopere laudavit, quo aliorum opera ſuppletur quod aliis deeſt? At quamvis cum *Hammondo* ubique non ſentiam, multum abeſt ut ſint ea inter nos diſſidia, quæ ſunt passim inter Criticos Interpretes Veteris & Novi Teſtamenti; qualia ſi eſſent, profecto numquam ejus quidquam vertere adgreſſus eſſem. Quia vero in ſummis capitibus & Religionis, & rationis interpretandi ei adſentiebar, ideo ejus Adnotationes verti, quamvis in nonnullis diſſentirem. Ut diſſentiens ab aliis ferri cupio: ita diſſentientes alios & ferre, & amare, & revereri poſſum. Honori, ut jam ab initio hujus Epiſtolæ profeſſus ſum, duco meas notulas cum ejus vigiliis prodire; verum, ſi paullo audacius ſine invidia loqui licet, non ita tamen abjecte de meis ſentio,

 ut

ut ex *Hammondianarum* ſocietate, pretium earum, ſi quod eis inſit, minui poſſe exiſtimem. Si enim ita ſentirem, numquam eas nec una, nec ſeorſim edidiſſem. Potui falli, ut omnes in iis, quæ ad nos pertinent, ſæpe cæcutimus; quod an mihi contigerit, æqui demum atque eruditi Lectores judicabunt; ſed non potui non facere id quod conſultum ratus ſum.

Incidit nuper in manus meas libellus Anglicus, cui Auctor titulum fecit, *Liberam ſed modeſtam Cenſuram*, cum nonnullorum aliorum Librorum Eriſticorum, Anglice ſcriptorum, tum etiam meæ *Artis Criticæ*, quamvis Latini Operis, & plane alieni a litibus illis. Ei quoque ſubjectum eſt judicium de conſilio meo in vertendo *Hammondo*, de quo judicio pauca hic ſubtexam. *Modeſtus* ille Scriptor, quicumque ſit, ſed *liber*, non ægre patietur, certe merito queri non poterit, me *modeſte ac libere* conſilium meum tueri. Ait ille *noxium eſſe conſilium* noſtrum *de edendis Hammondi Adnotationibus in Novum Teſtamentum, admiſtis ſimul* noſtris *Additamentis. Hæc eſt*, inquit, *callida ratio promovendarum partium, præſertim in Anglia; ubi Opera eruditi ac pii Adnotatoris ſunt in tanta exiſtimatione. Criticis ejus Adnotationibus, Interpretationibus admiſtis Socinianis, utræque quam facile imbibentur? Exiſtimavi neceſſe eſſe monere populares meos de hoc periculo, ne in errorem abriperentur, imo in peſſimum omnium errorum, dum veritatis ſtudio tenentur.*

Partes quas tuendas mihi propoſui, cum

in aliis omnibus editis Scriptis, tum etiam in Additamentis ad *Hammondum*, nullæ ſunt, niſi partes Chriſti & Apoſtolorum; quorum unicam auctoritatem, in Religionis negotio, ſuſpiciendam ac ratam eſſe habendam exiſtimant omnes, qui ſeceſſionem fecere ab Eccleſia Romana; ſi de eorum ſententia ex Confeſſionibus, quibus ſubſcribunt, judicare posſimus; in quorum ego ſententia ſemper fui, ac ſemper ero. Non pluris facio nudam rationibus auctoritatem *Socini*, aut aliorum, qui minime adflati a Spiritu Sancto fuerunt, quicumque ſint; quam *Hammondi*, aut, ſi mavis, *Synodi Tridentinæ*. Quando mihi conſentire videntur cum Chriſto, ejusque Apoſtolis, illis adſentior; ſin minus, in diverſa abeo. Numquam integra *Socini* opera legi, neque peculiaria hominis dogmata, quæ mihi innotuerunt, magis probo quam aliorum, quos puto in errore verſari. Interdum etiam ea confutavi, &, prout occaſio feret, confutabo; non ut invidiam ejus ſectatoribus creem, aut gratiam cujusquam mortalium ambiam, verum ut tuear Veritatem. Sed non ſum in eorum ſententia, qui homines in nonnullis errantes, ceteroquin Evangelii præceptis parentes, exſpectantesque adventum e cœlo Domini noſtri Jeſu Chriſti ad judicandum de vivis & mortuis, ad vitam revocatis, ex legibus Evangelicis, beandosque bonos, & plectendos malos; nec ulla ratione ſalutem æternam ſe conſequi poſſe putantes, niſi fide quam Chriſto habent, ut a Deo miſſo, & quam ſolam ſibi ſperant a miſericor-

dia divina *juſtitiæ imputatum iri;* non ſum, inquam, in eorum ſententia, qui ejuſmodi homines æternis flammis addicunt, in eas ſi poſſent miſeros præcipites illico conjecturi; intereaque anathematibus, pœnisque Eccleſiaſticis ac civilibus crudeliter vexandos ſibi cenſent. Non ita *didici Chriſtum*, non ſic Apoſtolos animadverti umquam ſe geſſiſſe: iisque tacentibus, nec exemplo ullo præeuntibus, malo in nimiæ miſericordiæ periculum me conjicere, quam immanitatis ac feritatis poſſe vel minimum inſimulari. Deus ſui ex animo amantibus, hoc eſt, præceptorum ſuorum ſtudioſis, & præſertim maximi illius ac toties repetiti de amando proximo, condonabit multo facilius benignitatem etiam nimiam; ſi nimia eſſe queat, in homines Dei & Chriſti timentes, quamquam aliqua in re errantes; quam diram illam inhumanitatem, qua ſolent infamari, vexari, & omni pœnarum genere mulctari, ea ſola de cauſa, quia profitentur ſe non credere id quod nec a Chriſto, nec ab Apoſtolis revelatum eſſe putant. Malo profecto, malo in miſericordium numero, apud ſummi Judicis tribunal, ſtare; quam in vexantium grege, quæcumque ſint horum divitiæ ac dignitates, in hiſce terris. Malo me conviciis interea proſcindi, & ſuſpectum haberi errorum, a quibus quam longiſſime abſum; quam ut videar illi feritati, ulla ratione, patrocinari.

Non ſum etiam in eorum ſententia, qui eos a quibus diſſentiunt quibusvis argumentis impugnant, & pravos cauſidicos imitantur, qui

qui quidquid ajunt adversarii negant, quidquid inficiantur adfirmant. Veritas, meo judicio, numquam bene defenditur, nisi Veritate. Pugnent alii adfectibus, ajant id quod partium suarum interest verum videri, aut negent, non id quod falsum esse compererunt, sed quod falsum videri oportere existimant ut vincant; dicam semper quod verum esse videbitur, nec Religioni Christianæ umquam a Veritate quidquam timebo. Ita olim sensit vir summus, & quem maximi semper fecit *Hammondus* noster, quem sæpe exscripsit, quem defendit contra adversariorum calumnias, cujus laudes ubique prædicavit. Omnes intelligunt a me designari *Hug. Grotium*, qui quoties *Socinus*, aut *Crellius* bene interpretari Scripturam Sacram visi sunt, eos sequutus est; quamvis ideo male feriatorum hominum conviciis jactari se probe sciret. Quamobrem ei merito non semel patrocinatus est *Hammondus*, ut norunt omnes, qui secundum Operum ejus Volumen evolverunt.

Nihil detractum volo existimationi *Hammondi*, ut satis jam ostendi; *pium atque eruditum* fuisse non nego; imo vero nisi de eo ita sensissem, numquam ullum versum ejus Scriptorum vertere adgressus essem. At nec ejus eruditione, nec pietate indigent meæ Adnotatiunculæ, ut legantur; si bonæ sunt; si vero malæ, *eruditio* & *pietas Hammondi* Lectorem mihi nequaquam placabunt. E contrario, si qua in re a vero aberrassem, collatio *Hammondianarum* meas aberrationes conspi-

cuas magis redderet. At *Sociniana* dogmata, ait Censor, cum veris imbibentur. Jam negavi me *Socinum*, quasi ducem, sequi; sed non capio cur sit tantus Censori nostro metus, ut verissima *Hammondi* doctrina falsas ac *Socinianas*, ut ait, Adnotationes possit superare in animis Lectorum. Si ejus more ratiocinarer, dicerem Censorem esse occultum *Socinianum*, qui clancularis artibus *Socini* dogmatibus famam parare conatur. Oportet enim, ex ejus sententia, magnam esse vim doctrinæ, quæ si vel minima copia admisceatur Scriptis recte sentientium Auctorum, omnes eorum rationes ita obscurat; ut *facile*, iis invitis, *imbibatur*. Profecto hæc sunt aptiora ad extollendum atque augendum, quam ad deprimendum atque exstinguendum Socinianismum; contra quem ne eruditissimæ quidem Adnotationes in Novum Testamentum sunt satis efficax Alexipharmacum. Est & aliud quod trahi in suspicionem posset, & quod a Censore nostro, aliisque idgenus hominibus fieri solet. Nimirum, si quis ingenio aliquo polleat, eruditioneque vulgus superet, nec vulgaria scribat, illico est Socinianus; quasi sapere nemo posset, nisi in Socini castra se conferret. Insigne idemque nuperum ejus rei exemplum est optimus atque acutissimus vir *Joannes Lockius*, qui quia adcuratius de multis philosophatur, quam hactenus ab ullo factum est, in eximio libro *de Intellectu Humano*, continuo tamquam Socinianus infamatur a Censore & aliis. Hoc demum est vere favere Socinianis, eximia omnia

nia ingenia eorum numero adscribere. Paria olim in *Hug. Grotium*, paria in *Ren. Cartesium* sunt jactata; quæ illis quidem viris dedecori non fuerunt, sed honori Socinianis. Similiter antea & *Des. Erasmus* Arianismi est ab illius ævi Monachis, aliisque non melioribus insimulatus; quasi nimio fuisset ingenio, quam ut *Orthodoxus* esse posset. Probe novi quantum absim ab eruditione atque ingenio tantorum virorum; at si Censor noster ex animo me laudavit, oportet ut fateatur dotes, quas mihi tribuit, & quas nimis sine dubio extollit, me quoque conjecisse in dogmata, quæ *pessimum errorum* vocat. Sin vero fucatas laudes in me congessit, ut postea acrius morderet; sciat simulatam illam humanitatem esse animi parum candidi, ne quid atrocius dicam.

Si dicat *Socinum* multis in rebus errasse, me adsentientem habet; at novi multos alios pejores errores, quorum unum dumtaxat hic, in gratiam Censoris, commemorabo. Is est eorum, qui æternis suppliciis dignos homines censent, quos Christus minime damnavit; qui omnibus modis eos vexant, qui a se dissentiunt, quamvis fateantur non minus se esse errori obnoxios, quam eos quos male habent; qui denique putant fas esse, ob leves suspiciones, viros Religioni Christianæ addictissimos, & castigatis moribus, infamare quasi pestes quasdam, a quibus cavendum est. Qui Christo ea non tribuit, quæ non putat umquam sibi a Christo ipso adrogata, si ceteroqui fidele præstet obsequium omnibus

S 5 ejus

ejus præceptis, quæ probe intelligit, ignorantiæ veniam poteſt ab æquiſſimo ac clementiſſimo Judice impetrare; at qui præceptum de amando proximo, meridiana luce clarius, perfringit conviciis, acerbitate, ac ſævitia, atque iis vitiis immoritur, is, niſi novum, ejus cauſa, confletur Evangelium, Regni Cœleſtis particeps numquam erit.

Hic poſſem dimittere Cenſorem meum; ſed quandoquidem *Arti* meæ *Criticæ* ſimilem cenſoriam notam inurere voluit, paucis oſtendendum eſt hominem vehementer errare, nec ſatis adtente legiſſe id quod carpere ſtatuerat. Ait ante omnia, me nova & callida ratione voluiſſe, in eo Opere, *propagare Socinianismum.* Ego vero, qui animum ac conſilium meum haud paullo melius novi, id pernego; nec quidquam eſt, in ipſa re, quo id a me imprudente factum eſſe conſtare poſſit. Conſilium meum fuit, oſtendere qua via Litterarum Studioſi eruditionem minime inanem ac jejunam ſibi comparare poſſent. Ideoque multa admiſcui exempla, ex rebus majoris momenti deſumta, ut Criticam minime ſpernendam eſſe Artem demonſtrarem.

At Cenſor loca profert, ex quibus colligere conatur me *Socini* placitis viam munire voluiſſe; quæ ſunt paucis expendenda, ut omnes, qua fide, & qua modeſtia hæc adtigerit, intelligant.

Dixi Part. I. Cap. I. §. 3. in Veterum Scriptis, ad opiniones illorum ſæculorum paſſim reſpici: quæ propterea ſunt tenendæ, ut intelligamus quid ſibi velint. *Ita cum Judæo-*

*dæorum præcipua in divino cultu cærimonia in sacrificio esset sita; ideo in Novo Testamento omnia fere pietatis officia sacrificii nomine interdum indigitari.* Tum subjicio; *mortem Christi sacrificium quoque vocari, quod fuerit præcipua ejus pietatis pars, & quædam habeat sacrificiis similia.* Hic Censor tam festinanter verba mea vertit, ut voces *ejus pietatis*, transtulerit *of that Religion;* quasi ad Religionem Judaïcam respexissem, cum manifesto loquar de pietate Christi erga Patrem. Tum hinc colligit me statuere Christi sacrificium fuisse tantum sacrificium *metaphoricum & improprium*, ut faveam iis qui rejiciunt satisfactionem Christi. Sed quæ hæc est Dialectica? Illa actio Christi, qua potissimum homines redemit, dicitur sacrificium, loquutione petita ex consuetudine Judæorum, quamvis per omnia non sit similis sacrificio. Ergo nos Christus non redemit. Ex qua revelatione novit noster, ut nos Christus redimeret, oportuisse eum mactari plane instar victimæ, absque ullo prorsus discrimine? Quomodo nobis etiam ostendet, in Christi morte, omnia fuisse quæ in sacrificio cernere erat? Sacerdos certe & victima non erat idem, victima mactabatur in loco sacro, sanguis ejus effundebatur ad basin altaris; multique alii ritus adhibebantur, quorum nullus, si proprie loquamur, in crucifixione Christi observatus est. At id minime obstat quominus mors Christi vim sacrificii obtinuerit. Non est inutile, ut hoc norit Censor, observare in morte Christi non esse quærendas omnes sacri-

crificii circumſtantias; quia, dum hoc fit, revelationi divinæ putida paſſim hominum commenta miſcentur; quale eſt eorum, qui imprudenter crucem ajunt altare fuiſſe; cum nullum fuerit, aut eſſe potuerit in hoc ſacrificio altare, a quo victimam conſecrari oporteret: quemadmodum fiebat in Leviticis Sacris. Sed hæc ſunt omnibus nota, nec commemorarentur a me, niſi Cenſor noſter ita loqueretur, quaſi ea ignoraret. Quod vero ait id quod dico, de vocabulo *ſacrificii* impoſito morti Chriſti, nihil facere ad rem, de qua eo in loco *Artis Criticæ* agere cœperam, id expendendum Lectori relinquo; non ſatis mihi eſt temporis, quod poſſim perdere, ut elementa Logicæ aut Grammaticæ ſubinde tradam.

Part. II. Sect. I. C. III. oſtendi, ita ut nullum ſupereſſe poſſit dubium, *licet ſummum Numen* Elohim *dicatur ab Hebræis, attamen eam vocem denotare Deum, prout eſt colendus*, σεβάσμιος, *non naturam perfectisſimam.* Demonſtravi etiam vocem θεὸς a Judæis Græce loquentibus, a Gentilibus & Chriſtianis ipſis eodem ſenſu uſurpatam; quod non parum facit ad intelligenda innumera loca Veterum Scriptorum, ſacrorum & profanorum, quæ alioquin obſcuriſſima ſunt. Res eſt manifeſtiſſima, & totius Capitis conſilium iis, qui non ſponte cæcutiunt, apertiſſimum. Rem quidem ipſam non oppugnat Anonymus Cenſor, quod negari non poſſit, ſitque doctiſſimorum virorum conſenſu firmata; ſed di-

divinat a me hæc eo consilio scripta, *ut innuerem, quamvis Servator noster possit esse objectum cultus divini, attamen eum non esse Deum.* An ex animo loquatur nescio, nec volo de arcanis ejus cogitationibus judicium ferre: sed eum oro ne posthac ita se gerat erga alios. Nam velle arcana animi intelligere, non modo non est *modestum*, sed ne *sanum* quidem; atque in hoc negotio, eum toto cœlo aberrasse moneo. Numquam existimavi Christum posse esse *objectum cultus divini*, quamvis non esset Deus. Esset hæc mera Idololatria. Imo vero ne ipsi quidem Sociniani volunt Christum coli, quasi Deum summum, dum eum summum Numen non putant; sed tantum eo cultu, qui debetur legato summi Dei. Legat Censor eorum libros, antequam eos oppugnare adgrediatur; nec mihi tribuat quæ nec ego, nec quisquam alius cogitavit. Non est viri *modesti* ea carpere, quæ non intelligit; nec candidi, aliorum sententias prave exponere.

Sequente Cap. IV. dixi me non existimare ullam esse Emphasin, in hac loquutione, *morte morieris*, Gen. II. 16. sed ea significari simpliciter mortem; repudiavique sententiam & *Augustini*, qui nescio quot genera mortis hic quærit, & eorum, qui volunt ea describi mortalitatem; quos dixi hanc loquutionem ita interpretari, *contra usum constantem Linguæ Hebraïcæ.* Quid ad hæc noster? An contrarium usum esse ostendit? An probat me errasse? Nulla ratione, sed contendit tantum me partibus favere, nimirum, Soci-

nianorum; quasi desint doctissimi Interpretes, omnium partium, qui eam interpretationem rejiciant; quæ certe nullo exemplo potest defendi, sed infirmis dumtaxat ratiocinationibus. Præterea, ut hoc sciat Censor, quamvis mortalitatem hic signari non existimem, non ideo dubito an ante peccatum immortalis fuerit Adamus, anve revera mortalis peccato sit factus; quod ex meo Commentario discere potuisset, ad Gen. III, 19.

In eodem Capite, *scribere in corde leges*, apud Jeremiam, non esse facere *necessario* ut observentur, sed ut teneantur, sine ullo monitore, certissimis exemplis probavi, non modo Ethnicorum, sed *Pauli* & *Josephi*. Ait Censor Fœdus Novum a Propheta signari, quod nusquam negavi; tum addit hac loquutione significari *virtute Spiritus Sancti intellectus illustrari, & voluntates sic efficaciter adfici, ut homines idonei fiant observandæ ei legi*. Sed quo exemplo, non dubio, hoc probat? Nullo. Nec certe posset, ut nec ineluctabilis illa efficacia, ulla ratione Theologica, demonstrari queat. Ego vero exemplis *Pauli* Rom. II, 15. & *Josephi*, probavi non esse nimium urgendam eam loquutionem. De Pauli quidem verbis tacet Censor, negatque Ethnicorum exemplis quidquam probari; quasi hæc sola protulissem. In *Josephi* vero locis, ait *inscriptionem legis animis*, & *conservationem ejus in hominum memoria*, sibi diversa videri. Legat vero Lector ea loca, & mirabitur *liberi* hujus *Censoris* acumen.

Dixi hac loquutione Lucæ Act. XVI, 14. *Do-*

*Dominus aperuit ejus cor, ut adtenderet iis quæ dicebantur a Paulo;* aliud nihil significari, nisi *divina providentia factum esse, quibuscumque tandem machinis usus sit Deus, ut Lydia adtente aurem præberet Paulo.* Quod superioribus exemplis satis constat. Nostro Censori mira primum videtur loquutio, *quibuscumque tandem machinis usus sit Deus;* quasi obscurum esset Latine scientibus loquutionem hanc esse tralatitiam, ac desumtam ex urbibus, quæ *machinis* oppugnantur. Quæ translatio mira non potest esse iis, qui apud Paulum 2. Cor. X, 14. legerunt, *arma militiæ* Apostolorum *non fuisse carnalia, sed potentia Deo ad destructionem munitionum.* Quidni enim pari translatione vocem *machinas* adhibere queamus? Quis etiam paullo humanior ignorat optimos Scriptores Latinos, ea voce, in eum sensum tralatitium, usos? Audiat Censor vel *Ciceronem* in Ep. XVIII. ad Brutum, ita loquentem: *ad reliquos hic quoque labor mihi accessit, ut omnes adhibeam machinas ad tenendum adolescentem.* At scisne, bone vir, quæ sint illæ *machinæ*, quas Deus adhibuit, *ad aperiendum cor Lydiæ*, quandoquidem mentem meam clarius non expressi in *Critica*? Fuere *arma* illa *spiritualia* Pauli, quibus *munitiones destruebat*; Evangelium, nempe, quod aperit animos audientium, nisi culpa sua occludantur divinæ vocationi. Sic Judæi dicere solebant *Legi sibi aperiri animum*, ut te docebit *Lud. Cappellus* ad Luc. XXIV, 25. Adflatus quo Deus omnes Evangelium audientes adficiat, ut idonei fiant ad id, ut par est

eſt, excipiendum, ſi velint; aut nonnullos tantum, quos ineluctabili efficacia permoveat, Scripturæ ignotus eſt; ut dudum viri longe doctiſſimi oſtenderunt, quos Cenſor legat.

Quæ addit de ambiguitate vocum *redimere*, & *ſpiritus*, quam data opera oſtenderim, ut Socinianis patrocinarer; ea ſunt repetitiones calumniæ, quam ad nauſeam uſque iterat. Non poteſt negare vera eſſe quæ dixi; at, ut famæ meæ detrahat, vult eſſe malo animo ſcripta. Oportuit, nimirum, ut homini placerem, non tantum me conviciari Socinianis; ſed etiam mentiri aut Veritatem diſſimulare, ut facilius expugnarentur, aut potius viderentur expugnari. Tum demum laudabile conſilium diſſimulationes omnes ac mendacia laude digna effeciſſet. Hæ ſunt artes hominis ſibi male conſcii, & acerrime faventis cauſæ Socinianæ, dum eam oppugnare videtur ſimplicioribus. Qualis ſi non eſt animus Cenſoris, quod adfirmare nolim; ita certe ſe gerit ut facile ſit intellectu tam parum eſſe aptum conficiendo illi bello, quam aptus eſt detrahendo ac calumniando.

Capite VII. oſtendi οἱ φύσει θεοὺς proprie eſſe Deos, qui inſtitutione hominum ſunt Dii, aut potius habentur. *Attamen*, ait Cenſor, *ejuſmodi fuit Servator*, *inquiunt Sociniani Magiſtri*, *Deus ex divina inſtitutione*. Ergo hinc debuit colligere, ſi ſibi conſtare volebat, nequaquam fuiſſe conſilium meum, gratificari Socinianis; quos tamen male confert cum Ethnicis.

Ca-

Capite VIII. significavi *gratiam* illam ineluctabilem, quam tuetur *Augustinus*, mihi non videri consentaneam Scripturæ, nec eo verbo quidquam perspicuum significari. Non probat contrarium noster, sed mihi invidiam facere conatur, quod dixerim *Augustinum* esse *popularem oratorem*, *sed Criticæ imperitum*. Quasi res non esset omnibus, qui ejus Opera legerunt, notissima, aut ulli dubia! Facile credo a nostro numquam esse lecta *Augustini* Opera, qua in re me æquiorem ei præbeo, quam ille se mihi. Alioqui dicerem aut Censori nullam esse Sacrarum Litterarum tincturam, aut ferream frontem, qui ausit tribuere *Augustino* Criticæ peritiam, & quidem *sacræ*, (nam hic sermo est de interpretatione Scripturæ) velitque invidiam facere mihi qui negarim. *Pium & eruditum Patrem* vocat, quibus laudibus ornavit *Hammondum*, quem contraria dogmata sequutum non ignorat. At in hoc negotio, neque *pie* sensit *Augustinus* de Deo, neque *erudite* scripsit. Majorem *pietatem*, aut *eruditionem* non ostendit in Epistolis ad *Bonifacium* & *Vincentium*; ubi vexationem, Religionis causa, acerrime tuetur, & quidem absurdissimis argumentis. Primus ille, vel inter primos, effecit ut consecrarentur dogmata duo; quibus Deo & hominibus bonitas omnis & justitia detrahuntur. Altero enim inducitur Deus creans homines plerosque, ut eos damnet, æternisque pœnis addicat, ob alienum, vel ineluctabilia peccata; altero vero adducuntur Magistratus, & quicumque summæ rerum præsunt ad vexan-

dos aliter de Religione ſentientes. At prius illud dogma ferri poſſit, quia ſi quis temere beatitudinis ſedes occludat aliis hominibus, Deique bonitati ac juſtitiæ errore detrahat, modo ne diſſentientes vexet, & cogat profiteri id quod ſentit; plus ſibi nocet, quam aliis, cum Deus propterea minus bonus non ſit, nec minus æquus. Verum qui diſſentientes male habendos cenſet, is & ſibi, & aliis, & Veritati ſummopere officit. Ex homine fit fera, ſalutemque æternam hominibus, non feris, promiſſam amittit; vexat innocentes, innumeriſque calamitatibus objicit; Veritatem denique ſi iis artibus tuetur, infamat; ſi oppugnat, rem omnium ſanctiſſimam violat, & Deo Veritatis auctori bellum infert. Neque hic eſt inanis metus, de re numquam fortaſſe futura; non fruſtra veremur, ne *Auguſtini* auctoritas Chriſtianos ad vexandos diſſentientes adducat. Res ipſa jam contigit, florentiſſimi enim Regni Monarcha, in cujus Regno multæ myriades Reformatorum nuper vivebant, hoc potiſſimum auctore, permotus eſt ad ea in obſequentiſſimos parentium tentanda ac perpetranda; propter quæ tota Europa miſerorum ac profugorum juſtiſſimis perſonuit querelis. Conſtat Regem, ceteroqui non inclementem, nullis artibus potuiſſe adduci, ut antiquaret præterita omnia edicta, in gratiam Reformatorum condita; utque ſævitia militum uteretur, ad extorquendum illis adſenſum, quem pravis rationibus exprimere iis non poterat Regni illius Clerus; niſi poſtquam illi prælectæ ſunt Epiſtolæ memoratæ

tatæ *Augustini*, quem, falsis laudibus deceptus, auctorem se tuto sequi posse existimavit. Eat nunc Censor, & ægre ferat de *Augustino* me vera ausum esse proloqui. Ita loquor, qui non soleo, prout multi faciunt, calumniari quidem vivos, mentiri vero in gratiam mortuorum.

Censor contendit me, Cap. IX. ubi dixi a Philosophis & Theologis sæpe adhiberi voces nihil significantes, quarum interpretationem postulantibus nihil sani respondetur, cujus rei exempla adtuli nomina *Transsubstantiationis* & *Consubstantiationis*; intelligere etiam *Trinitatem*, aliaque capita eodem pertinentia. Nimirum, hic est *modestus* ille Censor, idemque καρδιογνώστης, qui quid alii cogitent, quamvis altissimo silentio pressum, divinat. Si ego, ex ejus Scripto, conjecturam facere vellem, dicerem ab hoc homine non caritatem tantum sed & æquitatem ac veracitatem e numero Christianarum virtutum eliminari; quas singulis versibus conculcat. At malo credere eum adfectu nescio quo peccare, & contra ea, quæ ipse sanctissima Religionis officia habet, eo præpeditum delinquere.

Interpretatio vocum *justitia Dei*, adlata Cap. XII, 17. pro justis Dei præceptis, nihil habet adfine cum peculiaribus Socinianorum dogmatibus, nisi in cerebro hominis qui videt quod nusquam est, & cujus animo tantus est injectus Socinianorum terror, ut si quid alicunde increpuerit, eorum cohortes adesse illico putet. *Crellius* certe & *Schlich-*

*tingius*, illorum primipili, plane aliter hunc locum interpretati ſunt.

Cap. XIV. non dixi Joannem, de *Ratione* æterna, idem ſenſiſſe ac *Platonem*; ſed tantum, *Platonico more*, vocaſſe Λόγον divinitatem, quæ in Chriſto habitat; ſubjecique ſupereſſe quærendum an Platonico ſenſu eam vocem intellexiſſet Joannes, nec obſcure ſignificavi me exiſtimare ſub eadem voce diverſas latere ſententias. Dixi etiam, ſi Platonico ſenſu intelligenda ea vox eſſet, apud Joannem, tum vero eſſe transfugiendum ad Arianos; quod fieri oportere, ex ſententia quam mihi adtribuit Cenſor, nemo niſi inſanus dixerit. At noſter rimator hæreſium oblitus eſt hic, Platoniſmum ſeu Arianiſmum multum a Socinianiſmo diſtare. Neſcit etiam, aut ſimulat ſe neſcire a me initium Evangelii Joannis, ſenſu a Platoniſmo alieno, peculiari Diatriba, explicatum fuiſſe. Quod dixi Chriſtianos omnes multum hodie abire a ſententia Synodi Nicænæ, id non ignorat poſſe ex Anglicis libris ſatis luculente probari, ne Latinos memorem. Probe ſcit virum doctiſſimum *R. Cudworthum* probaſſe Nicænos Patres aliosque exiſtimaſſe tres hypoſtaſes eſſe, prout hodie loqueremur, tres pares Deos. Legat etiam Vitam *Gregorii Nazianzeni*, a nobis conſcriptam, & Anglice verſam, ſi Gallice neſcit; & videbit *Gregorium*, ſine dubio, in illa fuiſſe ſententia. Res eſt adeo clara, ut in dubiam revocari amplius nequeat ab iis, qui eam expenderint. (*) Sed hac de re alias.

Ca-

(*) *Vide & Critica P. 2. S. 1. C. XIV. & XV.*

Capite XVI. improbavi mysticas & tumidas interpretationes ac ῥητορείας Veterum, quibus nulla subest ratio; easque etiamnum, cum præstantissimis quibusque Interpretibus Scripturæ, improbo. Rhetoricas ratiocinationes, ex solo arbitrio dicentis pendentes, neque exigendas ad rectæ Rationis normam, non pluris facio, quam Censoris calumnias, ex cerebro ejus, talium ferace, natas. Ejusmodi est quod ait, me rejecisse Rhetoricas argutias Patrum; quod credam omnia esse clara, in Religione Christiana, nullumque mysterium admittendum. Qua de re, ne verbulum quidem in eo Capite; ubi sermo est de Rhetorica, eaque inani; non de obscuritate, aut perspicuitate Religionis. Numquam credidi omnium, quæ revelata sunt, nobis claras ac plenas notiones obversari, ut satis ostendi in 2. Parte *Artis Criticæ*, ubi egi de Notionibus *Claris* & *Adæquatis*. Censori, qui arcanas animi cogitationes novit, nota esse oportuerat quæ scripsi in Opere, quod castigare adgressus est. Verum id legit dumtaxat ut morderet, non ut eo in rem suam uteretur

Quod dictum est a me, de *Concretis* & *Abstractis* notionibus Part. II. C. 5. relegat Censor, sedatiore animo; & videbit, non sine gravissima ratione, me *Synodorum* nomina esse idearum abstractarum vocabula dixisse; cum iis a multis tribuantur, quæ iis inesse debuerant, non quæ revera inerant, ut augeatur illarum auctoritas in perniciem Religionis. Vel *Synodus Tridentina* ejus observatio-

tionis necessitatem ostendere queat. Verum hæc monita sunt, in gratiam veri amantium scripta: non eorum, qui quidvis defendere aut oppugnare parati sunt, si proponantur illis præmia.

Ejusdem Partis Cap. VIII. dixi non omnibus eamdem esse Dei notionem, sed aliis ampliorem & nobiliorem; aliis contractiorem, ac demissiorem; cujus rei exempla manifestissima protuli, & quæ propemodum inutilia esse putabam, quia nemo, cui sit aliqua generis humani vel minima cognitio, ea de re dubitare possit. At noster Censor neque intellexit quod dixi, neque semet ipse; quandoquidem has de Deo *parum reverentes cogitationes* esse vult. Illi demum parum reverenter de Deo sentiunt, non tantum qui Idola colunt, sed & qui postquam spreta Veritate, & conculcata omni æquitate ac caritate, homines Dei timentes infamare conati sunt, putant se de Religione ac de Patria bene meritos esse, & sibi propterea census illos deberi; quos in gratiam bonorum & eruditorum virorum, non calumniatorum, condidit olim pietas Christiana.

Postea mihi exprobrat Censor, quod recensuerim in Parte III. varia loca Novi Testamenti, in quibus sermo est de Christo, in antiquis Codicibus a malis hominibus corrupta; seu illi bene, seu male de Christo senserint; quod non quæsivi, uti nec ullum consectarium, quod ad doctrinam ullam Theologicam pertineat, indidem de-

deduxi. Nester quidem non ostendit in illis Codicibus nihil esse variatum, neque enim potest; sed in malam partem hæc omnia interpretatur, ut solet. Quid ipse hisce de rebus sentiat ignoro, nec mea scire interest; sed profecto causam, quam meliorem esse ait, ita hic & alibi defendit, ut solent desperatissimæ causæ defendi; hoc est, Veritatem occultando, & invidia quam maxima in eos, qui eam patefaciunt, concitata. Quod an honorificum sit partibus viderit ipse, viderint ii quibus ea curatio est adtributa.

Tandem claudit iniquissimas criminationes, observatione, quæ confutandis ferme omnibus quæ dixit aptissima est. Ait, nimirum, me nihil novi in gratiam Socinianorum protulisse circa ea loca, nec conatum esse confutare clarissimos Episcopos *Joan. Pearsonium*, & *Eduard. Stillingfleetum.* Hinc vero eum colligere oportuit, mihi fuisse aliud consilium; & quod non aliter exsequutus fuissem quam feci, si nulli umquam fuissent in rerum natura Sociniani. Ostendere, nempe, tantum volui usum Criticæ, in rebus majoris momenti, nec a scopo meo, nisi fallor, aberravi. Cetera quæ habet noster, aut jam sunt confutata, aut minime digna quibus amplius immoremur.

Hæc dicenda habui, Vir Optime, de *Hammondo*, deque *Critica* mea, quæ edi volui ut hæc consiliorum meorum testificatio exstaret, non ut serram contentionis reci-

ciprocarem cum Censore; qui nisi a me dictis ad saniorem mentem revocetur, nullis confutationibus adficeretur. Rationem nunc criminationum suarum, apud se subducat; nec speret Deum sibi propitium fore, nisi indignissimi homine Christiano facinoris pœnitentiam agat; quod sic amico animo a me ei dicitur, ut Deum, precibus minime fucatis, orem, ne hoc ei velit imputare, sed ut eum potius ad bonam mentem reducat. Vale, Vir Amicissime, & nos perge, ut facis, amare.

*Dabam Amstelodami*, *a. d.* VIII. *Calend.*

*Februar.* cIↄ Iↄ c xcix.



DIS-

# DISSERTATIO ETHICA,

*in qua ſolvitur hoc Problema,*

## AN SEMPER RESPONDENDUM SIT CALUMNIIS THEOLOGORUM?

Ad Rev. & Clariſſimum Virum

## PHILIPPUM LIMBURGIUM,

*S. Theologiæ Profeſſorem.*

---

I. *Quid debeamus Veritati.* II. *An quotiescumque ſcriptis oppugnatur, ſit iisdem armis defendenda. Eſſe interdum defendendum, interdum tacendum.* III. *Cum ratio tacendum ſuadet, Eriſtica Scripta non prodeſſe Auctori.* IV. *Non prodeſſe aliis, ac præſertim poſteris.* V. *Deo ſemper non eſſe grata, ut nec contentioſum animum.*

CUM diebus hiſce lectitarem viri ſummi *Deſ. Erasmi* Apologias, ut animum aliis laboribus feſſum reficerem; miſerebat me, Vir Clarisſime, fortis optimi ac doctisſimi hominis, qui ea ætate, qua exſpectare ſuo jure poterat gratiarum actiones a Theologis, quibus per multos annos prodeſſe conatus e-

rat, neceſſe habebat ſe ſe contra eorum calumnias, tot editis voluminibus, tueri. Ejus ſingulare ingenium atque eruditionem minime vulgarem ſemper admiratus, ac exoſculatus, vix poteram non indignari importunis illis atque ingratis hominibus, qui male exercitam tanti viri ſenectam habuerunt. Cum eorum dotes & merita in Rempublicam Chriſtianam comparabam cum eximiis illis ornamentis, & ingenii, & doctrinæ, quæ in *Erasmum* larga manu contulerat Deus, & cum acutis juxta ac doctis ejus libris; tantum mihi videbatur eſſe diſcrimen inter eorum inania molimina & quæ ille feliciter præſtiterat, ut ullo ejus reſponſo prorſus indigni fuiſſe a me judicarentur. Attamen cum prava judicia, non modo vulgi, ſed etiam eorum, qui in Eccleſiis Chriſtianis ſummæ erant, illo tempore, dignationis, penſitarem; exiſtimabam homini non defuiſſe graves rationes, quibus ad tot condendas Apologias adductus fuiſſet. Tum vero incipiebam etiam iraſci Proceribus illis Eccleſiaſticis; quorum gratia ne excideret, coactus fuit, non gladio quidem, ſed calamo veluti armatus ambulare, eoque parato ad confodiendos omnis generis calumniatores. Ut in Civili Societate, Magiſtratus hanc ſibi curam impoſitam eſſe intelligit, ne fures & latrones in civium innocentium fortunas ac capita impune graſſentur: cenſebam eos, qui Eccleſiaſticæ Societati præerant, debuiſſe cavere, ne qui iis parebant ſtylo ſævirent in exiſtimationem bonorum, ac præſertim bene de Theologia Chri-

ſtia-

ſtiana meritorum. Sed contra tunc temporis accidebat, ut delatoribus, inviſo alias hominum generi, ſi non præmium propoſitum, at certe impunitatis eſſet paratum aſylum, & ſæpe etiam fama recte ſentientium adquireretur. Poterant Mendacii ac Calumniæ diri ſatellites, ſine ullo metu, & cum aliqua etiam ſpe famæ, optimos quoſque & doctiſſimos feroci ſtylo invadere. Sed, quod deterius erat, non licebat viris omni eruditionis genere ornatiſſimis, ſine periculo, vitia Reipublicæ Chriſtianæ vel minimum adtingere; imo ne contra delatores quidem ſe ſe ſatis libere tueri. Quod ſi tacerent, ſilentium vitio vertebatur; quaſi fuiſſet indicium animi male ſibi conſcii. Infelicia profecto tempora, quibus nec loqui ſæculo ſuo fidelia conſilia præbentibus, nec ſilere injuria laceſſitis uſpiam licebat! Infelices Sacrarum Litterarum ac Veritatis amantes, quibus hæc reponebatur gratia, pro laboribus exantlatis; ut cum ignavis ac invidis tandem componerentur, utque bene ſecum agi putarent, ſi calumniatoribus minime poſthaberentur! Infelicem denique excogitandi ac ſcribendi facultatem, vigiliis innumeris comparatam, qua magis ad propulſandas calumnias, quam ad Veritatis illuſtrationem uti cogebantur!

Cum hæc aliquamdiu mecum reputaſſem, veluti oblitus noſtræ hujusce ætatis, qua mutatis perſonis eadem paſſim fabula agitur; tandem animum ſubiit id problema, quod non ita pridem me ſingulari Diſſertatione ſolvere aliquando velle dicebam, *an ſemper reſpon-*

*den-*

*dendum sit calumniis Theologorum.* Quam pollicitationem meam differre amplius nolui, cum præsertim Tibi, Vir Reverende, homini ab omnibus rixis natura alienissime, & paci peculiari nomine addicto, ob Theologiam quam profiteris, subeunda fuerit nuper certatio cum Theologo bello gerendo nato atque adsueto; & mihi cum eodem, aliisque manus sit propemodum quotidie conserenda, si velim provocantibus pugnæ copiam facere. Ad ea enim tempora pervenisse me sentio, quibus non tam copiarum quas Adversariis opponam, hoc est, responsionum atque argumentorum, delectus est mihi habendus; quam adversariorum ipsorum, quibus reponam. Quod contingit gruibus, atque anseribus, ut ave una clangere incipiente, multæ aliæ, concentu incondito, clangorem subitum edant: id ego, paucis abhinc annis, expertus sum ab hominibus, quos alia omnia magis decerent, ne quid de se deterius dictum a me querantur. Eorum nomina nec infamabo gravioribus criminationibus; nec famæ tradam, frequenti commemoratione. Eos *fama obscura recondat*, per me licet; si modo per eos, vice versa, mihi fas sit proferre rationes cur singulis ejus indolis hominibus, respondendum semper mihi fuisse non existimarim, quod hac Dissertatione adgredior.

I. Cum agamus hic de Calumniis Theologicis, quibus impetuntur homines litterati, propter Scripta edita ad propagationem, vel illustrationem Veritatis; ante omnia videndum

dum quid Veritati debeamus, hinc enim intelligere licebit, qua ratione & nos & illam contra calumniatores quam optime defendere possimus. Consentiunt omnes, Veritates ad res sacras pertinentes esse ab iis, qui Sacrarum Litterarum studiosi sunt, diligenter investigandas; seu eæ sint ejus generis, ut sine iis Religio constare non possit; seu faciant tantum ad ejus illustrationem, quamvis iis ignotis non minus staret. Nemo non fatetur eamdem esse rationem Veritatis, ad cujus cognitionem homines labore atque industria pervenire possunt, gradu facto ab iis quæ norunt ad ea quæ ignorant; ac talentorum illorum Evangelicorum, quæ a patrono peregre profecto, libertis committebantur ut ea, ope mercaturæ, nova pecuniæ accessione augerent. Indigni sunt, nimirum, revelatione Veritatis, qui ejus pretium ignorant; nec proinde eam, avidis mentis oculis, undequaque lustrant ac circumspiciunt, ejusque recessus omnes, quatenus licet, non considerant. Ideoque qui e cœlo revelatam Veritatem non colunt, neque animo subinde contemplantur, ut in dies splendidior atque amplior ei obversetur, tandem, ut ignavi liberti talentis, iis ipsis, quæ antea norant, paullatim destituuntur, Veritatique neglectæ succedit turpis Ignorantia.

Hæc cum a nemine in dubium revocentur, pluribus verbis a me non diducentur. Hoc quoque, quasi compertum, adsumere posse mihi videor; Veritatem inventam, sive sit necessaria, sive conducat ad necessariæ Veri-

ta-

tatis illustrationem, esse cum aliis communicandam. Ideo enim nati sumus, ut nobis invicem prosimus; qui autem magis prodesse aliis possimus, quam si eos doceamus id quod necesse est ab iis sciri, ut beatitudinem æternam consequantur, aut certe id quo ejusmodi cognitio planior atque illustrior fiat? Hæc est *lux*, quam *modio subjici* vetat Christus; jubetque *candelabro imponi*, ut ab omnibus conspiciatur. Eo spectant labores Prophetarum, Apostolorum, Evangelistarum, & omnium, quotquot umquam fuere, Theologorum, qui vitam in aliis docendis trivere.

II. CUM non possint non laudari quicumque Veritatis a se inventæ participes alios faciunt; hoc unum nunc quærimus, si contingat ab hominibus cæcis atque ingratis Veritatem sibi oblatam oppugnari, ejusque defensores conviciis propterea proscindi; an hi semper necesse habeant & se & Veritatem Scriptis contrariis tueri; adeo ut si tacuerint officio defuisse videri queant, aut ab adversariis merito reprehendi. Existimamus interdum calamum esse adripiendum, interdum satius esse tacere, pro varietate circumstantiarum; & tria quidem potissimum esse, quibus adduci queamus ad bellum illud chartaceum gerendum; quæ si absint, nulla causa est cur non potius taceamus. Primum est si oppugnata Veritas (quam alicujus momenti esse statuimus) nobis tacentibus oblivioni mandaretur, aut non satis ab ejus alioquin amantibus intelligeretur. Tum vero studium propagandi Veri, atque ad posteros, quatenus licet, trans-

transmittendi hoc a nobis postulat, ut calumnias confutemus, Veritatemque in quam splendidissima luce collocatam, veluti sacram lampadem nobis in eodem munere successuris fideliter tradamus. At si jam ita sit illustrata Veritas, omnibusque suis ornamentis, quibus a mendacio secernitur, ita instructa prodierit, & tam late sparsa sit, ut tantum absit, ut exstingui queat, ut ne obscurari quidem, nisi apud ejus inimicos, possit; nihil est cur propterea tempus terant Veritatis studiosi, in discutienda tenebricosorum libellorum caligine; nisi aliæ sint scribendi rationes, quas postea indicabimus. Errorum illi fumi, quibus homunciones conantur aliis conspectum Veritatis intercipere, brevi, neglectis, aut retectis mendaciis, evanescent; lux vero Veritatis, æternæ atque immutabilis, oculos spectantium iterum perstringet. Qua de re postea dicemus.

Altera reponendi calumniis causa est, si iis retusis, spes sit a pluribus Veritatem agnitum iri. Quæ spes non debet esse temere concepta, ac potius a cupiditate profecta, quam ex certa cognitione adfectionis præsentis animorum. Nam, ut ille ait, (*) *quæ volumus & credimus libenter; & quæ sentimus, reliquos sentire speramus.* Quod eo observo, ne homines contendendi cupidiores, adfectui suo eam spem semper prætexant; neque umquam inveniant eas rerum circumstantias, quæ eis silentium persuadere queant. Non possumus au-

(*) *Cæsar de B. G. Lib. II. c. 27.*

autem sperare fore ut plures Veritatem amplectantur, si eam tueamur contra calumniam, nisi quando nobis certo constat, per solam illam calumniam, stare ne Veritas pluribus probetur; quod tum demum liquet, cum aliis nullis adfectibus homines præpediuntur ne Veritatem videant, visamque ament, atque amplexentur. At si, confutata calumnia, validiores, ac pertinaciores adfectus supersint vincendi; negligenda est criminatio, qua diluta, neminis animus Veritati conciliabitur, nisi forte alia subsit scribendi causa, qualis est ea quam primo loco adtulimus, aut ea quam tertio proferemus.

Hæc autem est, si quis bonus vir, resve, aut existimatio ejus grave detrimentum patiantur, si sileat, aut responsum nimis differat; quod detrimentum vitetur aut resarciatur, confutatione calumniæ. Si vir prudens judicet innocentiam non aliter commodius posse defendi, nec sine successu defensum iri, eo modo; non tantum jus, fasque est ad calamum confugere, seque eo tueri, ut virum bonum decet; sed etiam legitima sui & suorum defensio id postulat. Verum hic quoque non facile credendum est, quasvis calumnias rei, existimationi, aut capiti bonorum esse noxias; sed postquam fuerint adcurate expensæ, detrimentumque sentiri cœperit. Alioqui nullæ calumniæ non noxiæ judicarentur, omnibusque esset necessario aliquid reponendum. Si quis ergo absurdis obtrectationibus impetatur, quas res ipsæ, quas spectata hominis virtus, quas Scripta ejus dudum nota,

ac

ac intellectum facilia retundant; nihil opus est inutilem confutandi laborem ab eo suscipi; nisi superiores causæ eum ad scribendum adducant.

Hisce diligenter apud se pensitatis, loquetur, aut tacebit vir ille bonus, ac eruditus.

*Cui caritate temperata libertas*
*Certat manere diffidentibus concors;*
*Piæque purus æquitatis adfectus,*
*Damnatus aliis, ipse neminem damnat;*
*Modestiæque limitem premens donat*
NUNC VERBA VERO, NUNC SILENTIUM PACI.

Agnoscis eximios versus maximi viri *Hug. Grotii*, ex Epicedio Carmine in mortem celeberrimi ac mitissimi ingenii Theologi *Jac. Arminii.*

Discipulus ejus, Magistro major, *Simon Episcopius* vixit iis temporibus, quibus necesse habuit & Latina & Belgica Lingua maledica & Veritati contumeliosa Scripta confutare; quia nec verissima dogmata, quæ tuebatur, a se potissimum in lucem revocata, satis nota erant; nec deerat spes plures eorum cognitione perfundendi, quæ sane eum minime fefellit; nec exiguum erat periculum, ne ipsum, aliosque optimos viros similia sentientes, nondum satis notos, calumnia opprimeret. Sic extorta illi necessario plurima illa Scripta Eristica, quibus, si hodie etiamnum viveret, neque ipse, neque alii indigerent. Itaque sine dubio calumnias omnes

ſperneret, & in tranquilla Veritatis inveſtigatione, atque explicatione vitam ageret. Norat virum bonum numquam rixari, niſi invitum, nec ad inutilia certamina ſponte ſua umquam deſcendiſſe. Poſtquam per univerſam Europam lectitantur cum ſummi illius viri, tum etiam optimorum & doctiſſimorum hominum *Steph. Curcellæi*, *Arnoldi Poelemburgii*, & tua, Vir Clariſſime, Scripta; nemo niſi prorſus indoctus poteſt ignorare quæ ſit Remonſtrantium doctrina, nec cujusquam exiſtimatio propterea amplius periclitatur. Quamobrem ſecure poſſimus ſpernere pleraque adverſariorum Scripta, quæ hodie in lucem prodeunt, ſuntque, ſi ita loqui fas eſt, antequam componerentur, ſola expoſitione contrariæ Veritatis, pulcherrime dudum confutata.

Quod ſi exempla quæramus, ex quibus liqueat, niſi quæpiam ex memoratis ſubſit cauſis, negligendas eſſe calumnias; primum omnium ſe ſe animi noſtri oculis objiciet abſolutiſſimum ſanctitatis exemplar Jeſus Chriſtus; qui Judæorum criminationes, quamquam moriturus, confutare noluit. Norat, nimirum, ea quæ docuerat numquam eſſe ex hominum memoria delenda. Sciebat, quæcumque diceret, neminem ex Synedris ad ei fidem habendam adductum iri. Mala denique quæ a Judæis perpetiebatur, in humani generis ſalutem ſtatuerat pati; cum præſertim longe maxima præmia ſibi, apud Patrem, repoſita eſſe ſciret. Igitur cum videret Judæos nec Veritati, nec ſibi nocere poſſe; nec

apud

apud Synedrium, nec apud Pilatum causam suam operose agere voluit. Quidni igitur & nos, quatenus licet & longo intervallo, *Ducem salutis nostræ* sequuti, si similes sint circumstantiæ, id exemplum imitemur?

Ne quis vero dicat tantum esse inter se & Christum discrimen, ut mirari quidem eum possit, sequi vero hac in re non possit; intueatur mihi Socratem, Ethnicum Philosophum, suspicantem dumtaxat esse alteram, post hanc, vitam, in qua boni a Numine præmia acciperent. Is cum existimaret se per totam vitam Veritatem factis & dictis satis animose docuisse ac defendisse, ita ut e memoria discipulorum & familiarium suorum numquam esset elapsura; cumque videret oratoria defensione non magis commotum iri judices, quam commoti fuerant integerrima vita, pulcherrimisque sermonibus, quos audire potuerant quicumque voluerant; ad saniorem mentem eos revocare frustra non tentavit, nec submissa oratione flectere in cassum conatus est. Si non prorsus conticuit, at *ita in judicio pro se ipse dixit, ut non supplex aut reus, sed magister aut dominus videretur esse judicum*; ut recte observavit *M. Tullius* Lib. I. de Oratore, c. 54. ubi & alia hanc in rem leguntur.

III. Memoratis causis repellendæ Scriptis calumniæ, quæ si absint, satius esse tacere contendimus; nunc particulatim recensebimus causas silendi, in quas potissimum in hac Dissertatione inquirere statuimus. Existimamus igitur, nisi si quæ sint loquendi

cauſæ, ex iis quas adtigimus, Eriſtica Scripta nec Auctori apud homines, nec aliis prodeſſe, nec Deo denique placere, quæ utique niſi ſint ſat graves tacendi cauſæ, numquam erit ulla de ratione ſilendum. Certe non poſſunt eſſe, niſi duo genera occupationum; quibus, ſine probro, diſtineamur. Aliæ pertinent ad officia utilia aut neceſſaria vitæ, ſive ad corpus reſpiciant, ſive ad mentem; quæ ſingillatim recenſere, aut in ſua genera partiri non eſt hujus loci. Aliæ vero ſunt relaxationes animi, aut corporis, quibus reficiantur neceſſe eſt, ut ſolitos diutius ferre poſſint labores. Ut priores ejuſmodi ſunt, ut non poſſit non vituperari quisquis aliquam earum partem in ſui, aliorumque utilitatem non ſuſcipit; ſic poſteriorum is debet eſſe modus, qui ſatis ſit fini, propter quem inſtitutæ ſunt; non vero tam frequens uſus ut maxima vitæ pars in iis teratur, quod nimis ſæpe fieri videmus. Tunc enim non ſunt *diverticula*, ut vulgo ſolent vocari in hodiernis Linguis, ſed perpetuæ ac maximæ aberrationes, quibus tota viarum regione errantes numquam ad finem humanæ vitæ propoſitum perveniunt.

Ad utrum vero genus occupationum poſſemus referre laborem inutilem, qualem eſſe eum ſtatuimus, quo confutantur abſurdæ calumniæ, & quæ ſponte ſua corruunt? Non eſt neceſſarius labor, aut utilis corpori, vel animo. Non eſt etiam remisſio ingenii, qua ejus vires refocillentur, corpusve feſſum recreetur; niſi quis ea ſit indole, quam alieno-

rum

rum vitiorum inutilis propalatio & inſectatio delectent ; quæ indoles ut emendetur danda ſine dubio opera eſt , non fovenda & confirmanda perpetuis rixis. Igitur eſt nobis ab inutilibus concertationibus abſtinendum ; vel quia ſunt inutiles , ſi aliud nihil in iis poſſet reprehendi ; cum ſint longe plura in eo vitæ inſtituto carpenda , ut in ſequentibus demonſtrabo.

IV. Ut incipiam a nobis ipſis , oſtendamque parum nobis futilium calumniarum confutationem prodeſſe ; dubium eſſe nequit , quin beatitudo , quam in hiſce terris adſequi poſſumus , ſita ſit in ἀπαραξίᾳ , hoc eſt , in tranquillitate animi futuram alterius vitæ beatitatem , ex norma Evangelica , ſperantis atque exſpectantis , eaque quanta maxima eſſe poteſt. Nos quidem Evangelium mutatos non vult in ſtipites , aut immunes eſſe ab omnibus adfectibus , uti nec Ratio ; at nos in malis hujus vitæ ita ſolantur , ut ab officio nos recedere nulla de ratione patiantur , utque propter futuræ vitæ ſpem omnia hujuſce mala æquo animo feramus. Turbatur quidem calamitatibus , incommodiſque , ſed ita ut paullo poſt ad ſe redeat , alacriterque & animoſe Evangelio parere pergat , nec umquam minoris faciat ſpem felicitatis ex ejus promiſſis conceptam. Majus multo eſt gaudium quod ex ea ſpe , conſcientiaque virtutis naſcitur ; quam quod ex aliis ullis rebus oriri queat. Firmius id eſt conſtantiuſque , ac totius vitæ tempore , in ſecundis , in adverſis , adfectibus omnibus moderatur. Non patitur

nos inſoleſcere vitæ hujus bonis, quæ parvi facit; nec deprimi, ſi res minus ex voto fluant; quia non aliter optare nos ſinit res ſecundiores, niſi prout conſentire poſſunt cum beata illa ſpe, quam dixi. Hæc eſt ἀταραξία Evangelica; ad quam adſpirare nos omnes par eſt, & cui nihil eſt, in hiſce terris, quod poſſit æquiparari.

Igitur quæcumque ad finem illum ducere nos poſſunt, ea ſunt nobis adquirenda, ac inventa diligenter excolenda; quæ vero nos ab eo revocant, impediuntque ne eum conſequamur vitanda, ac ſtudioſe fugienda ſunt. Quis autem dubitet quin frequentior propulſandarum etiam calumniarum conſuetudo adfectus incendat, animumque dolore, ira, aliiſque perturbationibus urat, quibus ab illa ἀταραξία plane excidimus? Quis poſſit ſine ira repellere venenata inimicorum tela? Quis ſine dolore, animo verſet convicia & calumnias, etiam cum ab iis nihil ſibi timet? Nemo eſt ita ferreus, ut hiſce cogitationibus minime adficiatur. Itaque tranquillitatis cupidis ſunt animo plane ejiciendæ, negligendæque omnes inanes calumniæ; quandoquidem ſine tranquillitatis, omnium rerum pretioſisſimæ, jactura, nequeunt confutari.

Quare vero convicia propulſamus? Nimirum, ne nobis noceant, impediantque quominus tranquillam vitam agamus. At ſi propulſatio ipſa contumeliarum magis obſit tranquillitati animi, quam earum neglectus; an dubitabimus id demum eſſe eligendum, quod

mi-

minus animum perturbat? Felicitatem cum sectemur, an alemus adfectus, qui cum felicitate consistere nequeunt?

Vixit nuper in Gallia (*) vir summi ingenii, ac singularis eloquentiæ, qui a prima adolescentia oppugnavit potentissimam Societatem; cui, ut ipse loquebatur, per omnes terras sparsæ plura sunt ora quam Famæ; ejusque in se acerrime concitatæ, & implacabiliter indignantis tela postea, quoad vixit, repellere aut declinare conatus est. Is a se quidem Veritatem defendi putabat, quamobrem sibi gratulabatur. Existimabat etiam sibi necesse esse famam suam adversus eos, quos irritaverat, tueri, ne eorum maledicta sibi nocerent. Itaque per totam vitam eamque longævam scriptitavit, ut confutaret ea quæ a Societate illa sibi objiciebantur. Statuamus ab illo Veritatem defensam, concedamusque eorum, quorum ab Adversariis insimulabatur, reum non fuisse. Attamen illo vitæ instituto plane excidit tranquillitate animi, quæ ei multo pluris esse debebat, quam nonnulla existimationis jactura. Vitam exegit in perpetuis ferme Scriptis, contra eam Societatem, aut in sui defensionem edendis: eodemque animo, quo eam adortus erat, in alios diversissimi generis homines pugnacem calamum strinxit, & tela etiam eorum declinare vice versa coactus est. Igitur vitam in inferendo aut defendendo bello dum absumit, iræ usque adeo addictus fuit, vix ut ullum



(*) *Antonius Arnaldus.*

Opus nisi felle tinctum ab eo prodierit. Quis vero invideat ei animi adfectioni, ac non potius malit ἀναισθησίᾳ aliqua laborare, quam teterrimi adfectus ludibrium esse; quamvis ceteroqui secunda omnia experirentur qui eo laborarent, quod raro contingit & ei quidem, quem diximus, minime omnium accidit?

Ne ergo, dum timemus jacturam leviorem, multo majorem, inani quodam timore, aut alio simili adfectu decepti, faciamus. At mihi hic videor audire aliquem dicentem tranquillitatem quidem animi nonnihil turbari, dum intentus est propulsandæ calumniæ, de qua sine commotione vix possumus cogitare; at ex ejus propulsatione, quamvis non plane necessaria, famam adquiri, aut ab inimicis commaculatam purgari. Contra si taceamus, multos fore qui male de nobis sentiant, silentiumque nostrum quasi tacitam confessionem objectorum criminum interpretentur; quæ si diluere possemus, numquam verba nobis deessent.

Verum hic est inanis prorsus timor, quis enim, ut a postrema ratione incipiam, nescit homini non prorsus stupido numquam deesse verba, quibus bonam causam tueatur; cum quotidie videamus desperatas causas, summa audacia, & maxima verborum copia, defendi? Quis ignorat chartam minime erubescere, & in ejusmodi certaminibus, quæ Scriptis editis fiunt, omitti ac dici quidquid videtur, prout causa postulat? Quæ cum ita sint, nemo dubitare queat, non dicam bonam causam,

ſam, ſed etiam dubiam perfacile poſſe defendi. Nihil certe vetat, ſi boni poſſent hoc a ſe impetrare, pro conviciis temere jactatis, opponi nomina verorum vitiorum, quibus laborant ii qui innocentium famam proſcindunt. Recte ſane Æneas (*) Homericus reponit Achilli contumelioſis verbis eum adloquuto; *utrique permulta eſſe convicia quæ ſibi oggererent, & quorum pondus*, ſi talibus pondus eſſet, *ne centum quidem transtrorum navis tolleret; volubilem eſſe linguam mortalibus, multosque omnis generis ſermones, ac ingentem profuſionem verborum hinc atque illinc; & quale dixerint verbum, tale etiam audituros:*

Ἔςι γὰρ ἀμφοτέροισιν ὀνείδεα μυθήσασθαι
Πολλὰ, μάλ', ἐδ' ἂν νηῦς ἑκατόνζυγος
  ἄχθος ἄροιτο·
Στρεπτὴ δὲ γλῶσσ' ἐςὶ βροτῶν, πολέες δ'
  ἔνι μῦθοι,
Παντοῖοι· ἐπέων δὲ πολὺς νομὸς ἔνθα καὶ
  ἔνθα·
Ὁπποῖον κ' εἴπησθα ἔπος, ποῖον κ' ἐπα-
  κέσαις.

Nemo igitur, qui non prorſus deſipiat, exiſtimarit ideo taceri, quod verba reis deſint; præſertim quando in rixis eſſet conſeneſcendum. Dixi, ab initio hujusce Diſſertationis, neceſſariam defenſionem ſui non eſſe negligen-



(*) *Iliad.* Υ, 246.

gendam ; sed necessaria non est, quotiescumque Adversariis videbitur jam confutatas criminationes denuo objicere. Semel crimine probe diluto, non opus est continuo dicta repeti, cum malevolus id iterum iterumque objecit. Imo vero tantum abest ut qui singulis criminationibus, aut calumniatoribus adcurate respondet, famam suam augeat; ut contra, quamvis prior lacessitus, jurgiorum ac rixarum amans vulgo habeatur. Sæpe vidimus celebres Adversarios magna hominum exspectatione certamen inire, eorumque adversaria Scripta, quæ prima prodierant studiose lectitari; sed cum rixari diutius pergerent, omnium animos a spectaculo tam tetro aversos, librosque

(*) *Deferri in vicum vendentem thus & odores,*
*Et piper, & quidquid chartis amicitur ineptis.*

Sic quod ab ira sua non poterant edoceri pugnaces animi, id a fastidio emtorum & lectorum inviti tandem didicerunt. Quanto satius est Lectores judicare, potuisse permulta dici ab homine rixarum nequaquam amante, quæ data opera ab eo omissa sint, quam multis actum id quod poterat semel & paucis expediri? Quanto optabilius est famam hominis litterati otii amantis adipisci, quam hominis jurgiosi atque otio suo ad rixandum abutentis? Sed

(*) *Hor. Ep. I. Lib. II. Ep. vers. 269.*

Sed possunt omnia Adversariorum tela non silentio tantum retundi, verum etiam verbis, quamquam alio spectantibus, cum plausu atque laudibus omnium bonorum; si, nimirum, dum ii qui nulla, aut exigua opera Rempublicam litterariam juvare possunt, eos conviciis lacerant; eam labore quopiam utili demereantur, & ex quo liqueat eos tales nequaquam esse, quales eos cuperent Adversarii haberi. Multo magis famæ suæ consulit quisquis utilibus laboribus incumbit, in quibus nihil est quod quemquam lædat, sed multa quæ plerisque usui esse possint. Multo melius meriti sunt de Republica Litteraria, qui ejusmodi Operibus eam instruxerunt; quam qui sexcentos calumniatores confoderunt, famamque suam acerrime contra omnes, multisque voluminibus defenderunt. Ideoque prioribus palma tandem sine dubio defertur.

Norunt omnes, quibus paullo notior est historia, pessimas causas, non raro eloquentissime & speciosissime defensas; ita ut ejusmodi defensiones admodum ambiguum sint justitiæ argumentum. Imo quotidie, inter dissidentes Christianos, videmus controversias agitari eo acumine, eaque eloquentia & tanto eruditionis exquisitæ adparatu, tam ab iis qui in errore versantur, quam a Veritatis patronis; ut si ex illis externis subsidiis judicium ferretur, sæpe Mendacium Veritati par, aut superius ea judicaretur. Fuisset quidem optandum *numquam rebus ipsis apud homines, plus linguam posse, sed si quis fecisset bene, eum demum bene dicere; & ejus qui mala fecisset*

*cisset sermones esse malos, nec umquam posse injusta ullam bene tueri.* (*)

> —— Ἀνθρώποισιν οὐκ ἐχρῆν ποτὲ
> Τῶν πραγμάτων τὴν γλῶσσαν ἰσχύειν πλέον,
> Ἀλλ' εἴ τε χρῆς' ἔδρασε, χρῆς' ἔδει λέ-
> γειν·
> Εἴτ' αὖ πονηρὰ, τοὺς λόγους εἶναι σαθροὺς,
> Καὶ μὴ δύνασθαι τἄδικ' εὖ λέγειν ποτέ.

Verum non ita cum humano genere agitur, ut semper verba factis sint consentanea. Quare meliore fama dignus erit, qui & moribus bonum virum se præstabit, & Scriptis operam dabit, ut homines adducat ad parendum sanctissimis Christi præceptis, atque ab eo felicitatem ea lege exspectandam, quam ipse nobis tulit; nec a pulcherrimo proposito ullis contumeliis poterit umquam deduci. Sibi suisque privatis utilitatibus servit quisquis, pro sola sua existimatione, adversus maledicos decertat; at Reipublicæ servit, quisquis, posthabitis suis commodis, ea docet quæ omnibus prodesse possint. Nec omnes, mihi crede, experitur ingratos erga suos labores quisquis eo animo Litteris Sacris aut profanis illustrandis insudat, permulti sunt, qui gratias illi habent statim ac ejus opera vident, sed plures & graviores aget posteritas. Posteriore quidem hoc solatio frui vivus, apud homines non potest, quia gratias olim ei

(*) *Ex Euripidis Hecuba.*

ei habituri nondum ſunt nati, cum de iis bene meretur; ſed ſummus ille humanæ Societatis auctor & vindex, qui ea ſibi imputari voluit, quæ ob ejus præcepta, hominibus bene fiunt, gratias refert, ſtatim ac eos ad meliorem vitam evocavit. Verum hic de hominibus tantum conſtituimus loqui, quorum optimi quique cenſuerunt breviter & ſemel, ubi neceſſe fuit, confutata calumnia, ſilentium ſibi imponendum, nec aliter reſpondendum conviciis, quam elaboratis in uſum omnium Scriptis.

*Jacobus Sadoletus*, vir ſua ætate diſertiſſimus, *Deſid. Eraſmo*, ab innumeris ſcurris & rabulis lacerato, olim ut ita ſe gereret (*) auctor erat. *Te*, inquiebat, *ita crebro, & a tam multis peti & mirum ſane mihi & permoleſtum eſt; nec video quæ ſit cauſa, niſi forte ea, de qua jam pridem ad te ſcripſi; exiſtimatio tua, videlicet, quæ in tam alto ſita eſt loco, ut omnibus flatibus invidiæ propoſita eſſe videatur. Nam qui in hanc Theologiæ palæſtram, nomen ſuum profitentur, quo ſibi de principio commendationis aliquid in vulgus quærant, nomen eligunt clariſſimum in quod invehantur; auget deinde rixam ipſa contentio. Sed ego ſi iſto loco eſſem, una ſemel defenſione in univerſum omnibus reſponderem* &c. *Hoc* Opere *edito, perenne mihi ſilentium ſuſciperem adverſus malevolos; quorum inſolentiam iniquasque calumnias, cum res ipſa & veritas, tum tua excellens fama virtusque refutaret.*

Vixit

(*) *In Ep. quæ exſtat Lib. IV. ejus Epiſt.*

Vixit olim in Gallia vir, non dignitate tantum Senatoria, in Parisiensi Senatu conspicuus, sed & meliorum litterarum amore; quibus non leviter tinctus erat, ut ex ejus editis Epistolis intelligere est. Fuit is summus amicus *Claudii Salmasii*, existimationisque ejus patronus acerrimus; ita tamen ut hominis vitia, ac delicta minime in suis ad eum litteris, pro veri amici officio, dissimularet. Cum ergo *Salmasius* a multis ejus ætatis Criticis, Jurisconsultis, & Theologis carperetur, nec exiguum tempus tereret in confutandis iis Scriptoribus, quod ita suæ famæ interesse putaret; Hæc ad eum scripsit *Sarravius*, in Epist. Gallica, quæ Latine vertam: *Non dubito quin te aculeata dicta angant, quietemque tuam perturbent. Hoc vero eorum unicum est consilium, & hoc adsequuti fines suos adsequuntur, prout solemus stylo forensi loqui. Sed semel te oportet claudere aures omnibus illis maledictis, hominesque ulcisci, compositione Operum quæ te digna sint. Cum enim prodit in lucem quidpiam, quod tuum esse dicitur, omnes ad emendum concurrunt; sed quando nihil in istis tuis Scriptis deprehenditur, præter minutas quæstiunculas, quamvis erudite atque exquisite pertractatas, audio tamen vulgo dicentes:* hiscene occupationibus distinetur magnus ille vir? Hoccine posteritas laudabit? Hoccine nobis promisit, atque ab eo exspectavimus? Omnia ejus Scripta plena sunt promissis magnificis librorum ac commentariorum in Plinium, in Tertullianum, in N. Testamentum, in Dioscoridem; pro

pro quibus edit Scripta in homines nihili, & quos vix sciremus esse in rerum natura, nisi famam illis conciliaret? *Scio quid respondeas, conorque eo uti quam maxime possum. Sed paucos invenio, quibus placeat.* Deberet, *inquiunt*, contemnere quisquilias illas hominum, & semel iis valedicere. Nihil dicas cani latranti, cogitur tacere; sed si eum irritaris, denuo vehementius incipit & suam adlatrationem auget. *Quæso mihi ignoscas, quod molesta illa judicia tibi scribam, sed tam sæpe verberant aures meas, ut a me non possint non reflecti ad te quædam eorum ἀπηχήματα.*

Hoc fuit judicium virorum eruditorum, qui tunc temporis in Gallia vivebant & *Salmasii* Scripta lectitabant, de contentionibus ejus diuturnioribus, de rebus exigui momenti. Sed & credunt plerique homines litteratos, qui nimiam operam tribuunt confutandis calumniis, quamvis Veritatem una cum sua fama tueantur, non tam Veritati defendendæ insudare, quam existimationi suæ; imo vero suspicantur interdum eos pro Veritate ne verbum quidem unum facturos fuisse, nisi cum ejus defensione fama eorum esset conjuncta. Aliquando profecto vident maximam & adcuratissimam partem Operis pertinere ad defensionem Scriptoris; Veritatem vero non pari studio, nec simili diligentia defendi; unde minus eam cordi esse Scriptori colligunt. Non semper quidem rectum est id judicium, sed quid facias? ita sunt homines, mul-

multo procliviores ad male sentiendum de aliis, praveque interpretandum id quod faciunt, quam ad æqua benignaque judicia. Itaque multo præstat nos videri negligentiores existimationis nostræ, dum maledicta minime confutamus, quæ ad nos tantum pertinent, si amantiores judicemur Veritatis.

IV. Hinc igitur liquet Scripta Eristica, minime necessaria, nequaquam prodesse Auctori; jam ostendamus ea utilia non esse aliis, ac præsertim quidem posteris.

Ante omnia, hoc constat, plerosque omnes qui libros emunt & studiis litterarum Sacrarum aut profanarum dediti sunt, res in libris quærere; non vitia aut delicta Scribentium, quorum cognitionem nihil ad se pertinere putant. Male ratiocinetur Anemolius aliquis, erret, imperitus sit eorum quæ tractare adgreditur, calumniis delectetur, nullo pudore teneatur, nihil pensi habeat quid scribat, dummodo convicietur adversario, existimationique ejus detrahat, vitam in pudendis concertationibus absumat; quid hoc ad me? (inquit Lector, cui est homo ignotus, aut qui nihil vidit ejus quod dignum sit lectu;) Vel aperto ejus volumine, si quod forte in manus meas incidat, satis per me intelligam talia legere non mei esse otii. Quid mea interest scire esse calumniatores, qui famæ tuæ detrahant, o qui in usum publicum scribis, quicumque sis? Non qui sis adtendo, sed quid dicas; quod si sit utile, gratias tibi habebo & agam, prout se dabit occasio, quidquid invidi de te dicant. Imo vero si quid præ-

præstiteris quod sit operæ pretium, ex eo de te judicium feram, & maledicta Adversariorum pro calumniis habebo. De te, deque tuis Adversariis ex rebus, non ex verbis, judicabo. Vita nimis brevis est, nimisque multæ res magni momenti supersunt mihi discendæ, aut altius memoriæ infigendæ; quam ut tempus, in legendis conviciis, aut eorum confutationibus, teram.

Hæc loquuntur, aut certe cogitant sapientissimi quique, quorum potissimum Scribentibus ratio habenda est. Si qui sunt, qui calumnias, earumque confutationes legunt, ii sunt numero multo pauciores, nec pares auctoritate. Sunt qui utrumque contendentium norunt, aut qui alterutri favent vel adversantur, gratia aut odio transversi acti. Hi legunt initio quæ ad homines ipsos pertinent, & utrimque dicta expendunt. At hi ipsi, qui primum adtentis oculis, atque animis hæc lustrant, si contentio paullo diuturnior sit, fessi & nauseantes ab eo spectaculo abeunt. Primos ac secundos ictus, eorumque declinationes aut repulsiones spectant; deinde eos piget pœnitetque tetri spectaculi, ad quod tandem nemo concurrit, quantacumque sit contendentium pertinacia, quemadmodum antea jam dixi.

Ac sane quid discerent Lectores, ex ejusmodi conflictu? An calumniari, vel conviciari; vel calumnias, aut convicia repellere? Atqui prius disci non debet, posterius autem satis discimus, ubi opus est, ab iis qui tradunt Artes ratiocinandi, aut dicendi; præter-

quam quod res ipsa ac Veritas virum bonum, calumnia adpetitum, quid sit respondendum satis docent.

At forte aliquis dixerit, defensionibus esse mistam Veritatem, quæ una cognosci queat; ideoque Eristica ejusmodi Scripta non esse legentibus inutilia. Verum si Veritatem docere cupimus, eamve amabiliorem hominibus reddere, solam proponamus, suisque ipsius subnixam viribus & argumentis; non mistam adfectibus nostris, quibus obscuratur ac suspecta fit. Cum nostram existimationem conamur tueri, alienamque minuere de hisce rebus multo magis anxii sumus, quam de Veritate. Tela tantum repellimus, aut declinamus, vel etiam vice versa in Adversarios conjicimus; nec Veritate sæpe utimur, nisi quasi clypeo, aut telo; clypeo quo existimationem nostam tueamur, telo quo alienam lædamus. Eam proferimus, quia protulisse nobis contra Adversarium prodest, alioquin omissuri, si nobis, apud homines, noceret; aut quia, si probe cognoscatur, Adversariorum nostrorum fama minuetur. Sic videmur amare Veritatem, quia nobis quidem prodest, aliis vero nocet, quo fit multis suspecta, qui sæpe ex circumstantiis de re ipsa judicant; non de circumstantiis, sicut par esset, ex ipsa re. Obscuratur etiam mistura rerum ab ea prorsus alienarum, dum iis involvitur, quæ ad singulares homines pertinent; quo vero obscurior est, eo minus animos hominum subit; si præsertim alia accedant, quæ ingressum ei occludant, qualia sunt quæ modo dicebamus.

Exem-

Exemplo ut hæc illuſtrem, doctiſſimus Jeſuita *Dionyſius Petavius*, non tantum ſingularia placita Eccleſiæ Romanæ, ſed & multa vera dogmata aliisque etiam Chriſtianis cum ea communia, in *Dogmatibus Theologicis* defendit, contra varios adverſarios, quos quaſi calumniatores ubique inſectatur; ſed eorum culumniis (ut jam concedamus eſſe calumnias) tanta acerbitate reſpondet, præſertim ſi qui ei repoſuiſſent, ſicut factum fuerat a *Claudio Salmaſio*, atque *Antonio Arnoldo*, ut ſuſpecta reddat etiam quæ vera habet; quia videtur non tam amaſſe Veritatem, quam odiſſe homines, eaque uſus non ad eorum animos illuſtrandos, ſed ad famam commaculandam, invidiamque errantibus creandam. Tot ſuis demonſtrationibus miſcet contumelias, ut ſe contra eorum, ut dicit, calumnias tueatur, quæ ad Veritatem nihil faciunt, & obſcuriora reddunt quæ de ipſa Veritate habet. Veritas res non eſt jurgioſa, & pugnax; ſed placida & tranquilla; & quæ adfectibus quaſi nebulis occultatur, nedum ut iis clarior fiat. Victoria quidem gaudet, ſed clemente & in qua tetrum illud, *væ victis*, numquam audiatur; ſed tranquilla & in qua victi victoribus ita poſtmodum miſcentur, ut eos ſecernere amplius non liceat; quia æqua ſors eſt omnibus, & par gaudium ob defenſam, vel retectam Veritatem.

Dixi antea æquales atque amicos contendentium, aliquamdiu certamen ſpectare, tum ſpectaculi pertæſos ad alia ſe ſe convertere; at hoc, multo potiore jure, de poſteris dici

queat; qui vix ullum ejusmodi contentiosum Opus legere sustinent. Ante aliquot annos, inter Jesuitas & Jansenistas, internecinum bellum in Gallia gestum est, innumerabiliaque aculeata Scripta utrimque, Gallico præsertim sermone, edita sunt; quæ initio avide lectitabantur, ab iis qui in partes iverant, eorumve amicis; sed nunc omnia plane conciderunt, adeo ut vix in Bibliothecis serventur, nec ab ullo amplius legantur. Si viri ingeniosi, qui in illam arenam descenderunt, pro innumeris Eristicis Opusculis, pauca edidissent in quibus Veritas sola spectaretur, atque exponeretur; hæc adhuc manibus hominum versarentur, non sine laude auctorum; cum superiora blattis & tineis dudum sint relicta.

Vir summus *Hug. Grotius*, quem multum præfero pugnacibus illis omnibus Scriptoribus quicumque sint, reposuit nonnullorum calumniis, iis Opusculis, quæ videmus in IV. Theologicorum ejus Operum Volumine; quas multo melius sprevisset. Quis enim hodie ea Scripta dignatur legere, quæ contra eum a nonnullis Theologis edita sunt, aut etiam quæ ipse pro se respondit? Profecto perpauci sibi satis temporis, ad ea evolvenda, esse putant. Quis vero non frequenter legit maximi illius viri Opera, ad interpretationem Scripturæ Sacræ aut Jurisprudentiæ pertinentia? Sæpius jam recusa, variis in Europæ locis, fuerunt & porro recudentur; quia cum sint quotidiani usus, ipsis evolventium manibus teruntur, sequentesque ætates iis non minus indigent ac superiores. Non defuere quidem Theo-

Theologi, quibus non ſatis fuit quæ ab eo humanitus delicta ſunt modeſte & ſine acerbitate, confutare, ne incautiores ejus auctoritate fallerentur; quod ſemper jus faſque eſſe omnes boni atque eruditi judicarunt; ſed qui optimum virum infamare, atque immerito paſſim mordere conati ſunt. At perpauci hæc pugnacium ingeniorum Opera legunt, & ſatis conſtat anteſignanum quempiam eorum numquam emtores inventurum fuiſſe mordacibus Scriptis, niſi iis callide integrum Opus Grotianum, in Scripturam Sacram, inſeruiſſet.

Igitur qui non tantum ſæculi ſui cauſa, ſed etiam propter poſteritatem manum calamo admovent, ab utilibus Scriptis avocari non debent, ad confutandas invidorum calumnias; niſi plane neceſſarium ſit, ut iis ipſis æternæ utilitatis Operibus incumbere ſedatiore poſtea animo poſſint. Nec quisquam objiciat, calumniarum confutationibus, Adverſarios aliquando adduci non tantum ad agnoſcendam bonorum virorum innocentiam, verum etiam ad Veritatem, quam oppugnabant, intelligendam atque amplectendam. Non nego quidem hoc aliquando contigiſſe, ſed contendo rariſſimos eſſe *Tilenos*, qui herbam ei, a quo bene confutati ſunt, porrigant; quam hiſtoriam poſteritati mandavit vir eruditus ac diſertus *Arnoldus Poelemburgius*, (*) in præfatione ejus *Hypotypoſi Dialogiſticæ* præmiſſa, ad quam Lectorem noſtrum amandamus.

 Ple-

(*) *Edita Hornæ an. 1659. in 8.*

Plerique omnes alii, aut φιλαυτία, aut metu jacturæ impediuntur, ut Veritatem agnoscant, agnitamve profiteantur.

Quamvis confodiantur, ut ita dicam, inevitabilibus Innocentiæ ac Veritatis telis, attamen ita superbi sunt, ita suæ inanis existimationis amantes; ut numquam adduci possint ut fateantur se erraffe, nedum ut veniam petant, ut deberent, immerito læsæ bonorum famæ. Novimus ejusmodi hominem, qui cum non ita pridem turpissimæ calumniæ, omnium judicio, convictus sit & ita convictus ut non ingenio ullo, sed oculis tantum opus sit, ut res intelligatur; attamen multum abest ut hoc ipse sentiat, aut, si sentit, sustineat profiteri, ut contra, instar Caci Virgiliani,

*Faucibus (*) ingentem fumum (mirabile dictu!)*
*Evomat, involvatque dolum caligine cæca,*
*Prospectum eripiens oculis, glomeretque legenti*
*Fumiferam noctem, commistis igne tenebris.*

Exarsit enim, cum teneretur deprehensus in aperta calumnia, incredibili ira, omniaque infuscare sophisticis artibus conatus est. An ejusmodi vir dignus est cujus iterum, iterumque renovatis calumniis quidquam reponatur? Certe, si fiat, non poterit prætexi spes adducendi hominem ad saniorem mentem.

Non

(*) *Parodia ex Æneïdis Lib. VIII, vers. 252. & seqq.*

Non ſunt quidem omnes tam vehementis, contumacisque ingenii; at pauci ſat Veritatis amantes, conſtantesque ſunt, ut detrimentum pati queant, quod ſæpe ferendum eſſet, ſi profiterentur ſe aliter ſentire quam antea ſenſerant, quamque ſentit ea Chriſtianorum Societas, cujus ſtipendiis ſeſe ſuſtentant. Itaque nihil juvat ejusmodi homines erroris perſpicua demonſtratio, calumniarumque, quibus uſi fuerant, valida confutatio. Si ſe calumniatores faterentur, deſerendum eſſet ſæpe munus, cujus ſtipendiis æquo animo carere non poſſunt; inopia interdum eſſet ſubeunda, quæ minus conſtantes terret. Quid ergo ſibi volunt homines, quos dura neceſſitas trabalibus clavis adfixit certis Partibus, cum alios adgrediuntur? Nolunt certe ab errore revocari, cum jactura ſtipendii. Itaque rixari volunt, ut ingenio ſuo indulgeant. Quærant vero homines ſibi ſimiles, qui verba ventis ferenda profundere ſuſtineant; quique calumnias numquam retractandas, quamvis manifeſto arguantur, ſumma moleſtia, confutent. Quis velit vel optimam cauſam agere apud Judices, quibus norit impoſitam eſſe gravem mulctam, ſi ſecundum ſe judicent? Boni ergo & eruditi viri in utiliora Opera tempus ſuum impendant, quibus manſuetam Veritatem manſuetis atque ea uſuris exponant.

Sunt & alia multa, propter quæ non pauci indigni ſunt qui ſerio confutentur; quorum potiſſima recenſebo. Primum quidem videas nonnullos, qui usque adeo negligenter philoſophicis ſtudiis, excolendæque Rationi ope-

ram dederunt, ut ne elementa quidem Artis recte ratiocinandi norint. Cum homines non poſſimus ad ſaniorem mentem revocare, niſi emendatis eorum paralogismis, neceſſe eſſet paſſim oſtendere quam frequenter in Dialecticæ leges peccent, quæ moleſta eſt & inutilis occupatio; quia grandioris ætatis homines propterea non dant operam Dialecticis, quod in ſophismatibus fuerint deprehenſi. Studium hoc eſt, ut putant, puerile; ad quod ſi eos retrahas, indignantur. Conſuetudinem diuturna negligentia contraxerunt male ratiocinandi, qua fit ut æque audacter paralogismum proferant, ac adcuratiſſimam ratiocinationem. Iidem vim argumentorum, quibus contra eos uteris, non adſequuntur, & frontem perfricant contra eas ratiocinationes, quæ ſunt ad omnes Artis regulas adcuratiſſime exactæ. Igitur littus arant, qui adverſus ejusmodi homines diſceptant. Amandandi ſunt prius ad Logicos, quorum præcepta ſi ediſcere atque obſervare nolint, quisquis contra eos ratiocinatur fruſtra eſt. Quot poſſem hic nominibus adpellare, qui quam acerbe in alios invehuntur, tam pueriliter ratiocinantur? Quot videmus homines audacter inſimulantes alios *Socinianismi*, quia aliqua in re *Socinum* recte ſentire putant; quaſi hæc eſſet recta ratiocinatio: *Adſentitur Socino in re quapiam; Ergo in omnibus?* Alios videas in ſimilem criminationem incidere, quod nec vexare errantes, nec anathema pië viventibus, propter errores theoreticos, dicere velint; quaſi quidquid improbatur pœnis aut anathematibus dig-

num

num neceſſario habendum eſſet, ab iis a quibus improbatur! Ejusmodi tamen criminationes ad ravim usque repetuntur a multis, quos Logicam doceri oporteret, priusquam Theologiam adtingerent.

Secundo loco, ſunt qui ignorant quæ neceſſaria ſunt cognitu, ut poſſint de rebus quæ in controverſiam vocantur judicium ferre. Agitur, exempli cauſa, de ſignificatu vocis aut phraſeos Linguæ, cujus elementa vix norunt, & in qua intelligenda ex Lexici fide plane pendent. Fruſtra adgrediaris ejusmodi homines ab errore revocare, niſi ab iis impetres, ut per aliquot annos ei Linguæ operam dent; quod ſi facerent, tua admonitione nequaquam indigerent. Eſt nonnemo, qui nuper ſimulavit ſe velle defendere, quæ delicta cenſuit alius a viro doctiſſimo, in inſigni quodam Opere; ſed tantum quædam hic illic, in additamentis ad id Opus, infeliciſſime carpſit. Homo eſt plane imperitus Linguæ Græcæ & Hebraïcæ, humaniorumque litterarum rudis; ſine quarum tamen modica cognitione, talia tentari non poſſunt, ſine ludibrio Lectorum. Fruſtra ſane ſperet eum quem oppugnavit ſecum decertaturum, qui ei auctor eſt, ut aliquot annos in lectione bonorum Scriptorum abſumat; quod ubi fecerit, ſi quid dubitet, non dedignabitur ei reſpondere. Idem, ut alii fruſtra jam eum monuerunt, Logicæ etiam operam det oportet, antequam ratiocinari amplius pergat, conculcatis omnibus regulis. Nimiæ eſt operæ & cordatioribus Lectoribus tædioſæ, paralogismos, & imperitiam ejus in

singulis ferme versibus ostendere; nec res est, ut diximus, tanti. Brevi ejus iracunda Scripta involvendis exigui pretii mercibus absumentur.

Tertio, est in nonnullis usque adeo exstinctus Veritatis amor, & partium studium tam vehemens, ut nulla sit spes vel minima, confutatis eorum calumniis, posse homines ad saniora consilia adduci. Sciunt se Veritatem non quærere, sed partium, a quibus stant, victoriam; sciunt falsum esse quod ingerunt Adversariis, nec eo secius pergunt conviciari; quid ergo eos docere velis? An esse illicita quæ faciunt? Ne hoc quidem ignorant, sed malunt adfectui indulgere, quam officii sui observantes esse. Itaque nihil satius est, quam ut taceas, obsequarisque sapienti monito Comici:

*— (*) Bacchæ bacchanti si velis adversarier,*
*Ex insana insaniorem facies, feriet sæpius;*
*Si obsequare, una resolvas plaga.*

De iis recte dixeris quod Seneca habet Ep. XXIX. *Nulli nisi audituro dicendum est* —— *Quid enim, si quis surdos objurget, aut natura, morbove mutos?*

Quarto, in aliis non modo exstinctus est omnis Veritatis amor, ejusque virtutis loco successit studium partium; sed etiam nulla pla-

(*) *Plaut. Amphit: Act. II. Sc. 2. vers. 71.*

plane eſt non tantum caritas Chriſtiana, ſed ne humanitas quidem, quæ nos æquos eſſe jubet omnibus, qui ſunt ejusdem humanæ naturæ nobiſcum participes. Itaque non partes dumtaxat ſuas tueri conantur, pravis quibusque artibus; ſed & homines ipſos oppugnant, ac perdere omnibus viribus nituntur. Dum coguntur intra verba conſiſtere, quod non utantur *brachio ſæculari*, ut loqui ſolent, prout ipſis videtur; aut quod ii, quos oppugnandos ſuſceperunt, iis in locis degant ad quæ *brachium* illud non porrigitur; nullum eſt conviciorum aut calumniarum genus, quod avidiſſime non adhibeant. Eadem alacritate ac lætitia venenatis illis telis, quantum quidem in iis eſt, homines ab eodem omnium progenitore ortos, & a communi Creatore ac Servatore conditos ac ad ſalutem vocatos, perimunt, qua venatores occidunt feras. Sed ſi contingat bonos viros, ab iis diſſentientes, vivere in iis locis, in quibus Magiſtratuum, aut Principum auctoritate abutuntur; tum vero nulla eſt infamia, nullum ſupplicii genus, quibus non utantur, ut retractationem Veritatis extorqueant, quam rationibus confutare non potuerunt. Eſt cur Deo gratias agamus, in florentiſſima hac Republica, rem eo non deveniſſe, imo vero contrariam de humanitate erga diſſentientes ſententiam vulgo obtinere. At reliqua Europa aliter aut aperte, aut clam ſentit; nec forte deſunt hic quoque Druïdæ, qui ſimilia optent. Certe conviciandi & invidiæ faciendæ conſuetudo, qua laborant, iraque qua ſe incenſos oſtendunt,

dunt, etiam cum humanius volunt loqui, mitiora nobis non pollicentur consilia, si illis umquam crederetur.

Ejusmodi autem hominibus quid prosunt responsiones? Esset potius quærenda ratio qua fera eorum indoles molliretur, atque mutaretur; quæ si posset inveniri, brevi ad saniorem mentem redirent. Interea laterem lavat quisquis, dilutis quam adcuratissime criminationibus, ad æquiorem sententiam eos revocat. Rixari volunt & inhumanitati suæ indulgere; non quærunt an æquitati consentaneum sit id quod agunt, sed an indoli conviciandi more dudum efferatæ.

Cum video ejusmodi certamen inter bonum virum, Veritatisque ac Æquitatis amantem, & hominem contendendi libidine excæcatum, atque obduratum, mihi in memoriam revocatur elegantissimus locus, celebris Platonici; *Maximi*, nimirum, *Tyrii*, Dissertatione II, in qua quærit εἰ τὸν ἀδικήσαντα ἀνταδικητέον, *an referenda sit injuria*, ostenditque pluris multo esse faciendos eos, qui minime eam referunt. Locum hic, propter singularem elegantiam, quamvis prolixiorem subjiciam: Ἀθλητῇ μὲν οὖν ἀνδρὸς, inquit, προσφερομένου ἀθλητοῦ ἐκ τῆς ἴσης ἀγωνίας καὶ φιλοτιμίας ἀποδέχομαι· ὁρῶ γὰρ αὐτοῖς ὁμοίαν μὲν τὴν φύσιν, παραπλησίαν δὲ τὴν μελέτην, ἰσότιμον δὲ τὴν ἐπιθυμίαν τοῦ νικᾶν· ὅταν δὲ ἀγαθὸς ἀνὴρ πονηρῷ συμπέσῃ, οὐκ ἐκ τῆς αὐτῆς παλαίστρας προσεληλυθὼς ἑκάτερος, οὐδὲ ὑπὸ

τῷ

τῷ αὐτῷ παιδοτρίβῃ ἀσκηθεὶς, οὐδὲ τὴν αὐτὴν τεχνὴν ἐκμαθὼν, οὐδὲ τοῖς αὐτοῖς παλαίσμασιν ἐντεθραμμένος, οὐδὲ τοῦ αὐτοῦ στεφάνου ἐρῶν, οὐδὲ τοῦ αὐτοῦ κηρύγματος, οἰκτείρω τὴν μάχην, ἄνισος ἡ ἀγωνία. *Facile*, inquit, *patior athletam cum athleta componi, ex pari certamine & ſtudio. Video enim illis ſimilem indolem, parem exercitationem, æqualemque cupiditatem vincendi. Quoties vero vir bonus cum improbo concurrit, cum uterque non progrediatur ex eadem palæſtra, neque exercitatus ſit ſub eodem Magiſtro, neque eamdem artem didicerit, neque in iisdem luctationibus educatus ſit, neque amans ejusdem coronæ aut ejusdem præconii; miſeret me ejus pugnæ, impar eſt congreſſus.* Hinc quidem vir bonus atque eruditus deſcendit in arenam, ſola Veritate fretus, eique aperte & candide proferendæ adſuetus. Solius erroris eſt inimicus, hominum vero omnium, licet errantium, peramicus. His nolit quidquam facere, quod ſibi ipſe fieri, ſi eorum loco eſſet, non cuperet. Itaque dum inſectatur errorem ſumma cura errantibus parcit, omniaque eorum dicta & facta, quoad ejus fieri poteſt, benigne interpretatur. Illinc vero homo contentioſus, Veritatis cura abjecta, procedit armatus calumniis & conviciis omnis generis. Inimicus eſt multo magis hominis, quam ſententiæ; neque hanc oppugnat malis artibus, niſi ut homini invidiam conflet, apud imperitos, ut que Veritate everſa, ejus ruina Adverſarium opprimat. Eum potiſſimum petit, atque e me-

medio sublatum cupit. Quod cum ita sit, quis auctor fuerit bono viro pugnandi cum ejusmodi homine? Quis non potius fugam tam iniqui certaminis ei suadeat?

Quid si ad eam dissimilitudinem armorum accedant etiam pravi judices? *Necesse est malum virum superiorem esse in tali studio pugnantem, cujus mali quidem sunt spectatores, injusti vero judices. Hic enim vir bonus est rudis, indoctus, destitutusque incredulitate, fraude, fallacia, & omnibus luctandi artibus, quibus confirmatur, ac corroboratur improbitas. Itaque ridiculus fiat, dum adgredietur injusto injuriam referre; cum ei rei nec natura, nec arte, nec consuetudine sit aptus.* Ἀνάγκη τὸν πονηρὸν κρατεῖν ἀγωνιζόμενον ἐν τοιούτῳ σταδίῳ, οὗ πονηροὶ μὲν θεαταί, ἄδικοι δὲ οἱ ἀθλοθέται. ὁ δὲ ἀγαθὸς ἐν τούτοις ἄτεχνος, καὶ ἀμαθὴς καὶ ἄπορος ἀπιστίας καὶ πανουργίας, καὶ ἀπάτης καὶ τῶν ἄλλων παλαισμάτων ὑφ᾽ ὧν μοχθηρία κρατύνεται καὶ ἰσχυρίζεται· ὥστε καὶ καταγέλαστον ἂν γίγνοιτο ἀντεπιχειρῶν ἀδικεῖν ὁ μὴ πεφυκὼς τὸ ἄδικον καὶ τῇ φύσει, καὶ τῇ τέχνῃ, καὶ τῷ ἔθει.

Magis impar erit certamen, si quinto loco statuamus eo nequitiæ processisse malum virum, eamque esse infelicitatem temporum; ut diris calumniandi artibus sibi gloriam quærat, ac revera famam apud multos egregii ac memorabilis viri consequatur. Quo melior est, quo modestior, atque eruditior Adversarius; eo major fama interdum speratur, ex

ejus

ejus infectatione, ac re ipsa apud imperitos ac malos comparatur. Sic olim Judæi, qui hostiliter infectati sunt Christum & Apostolos, fama atque existimatione apud suos floruerunt. Sic in Pontificio regno, quicumque gravissime calumniantur eos quos Hæreticos vocant, & maximo adfectu in eos invehuntur, quibuscumque artibus utantur, ad cœlum, quasi eximii defensores Religionis Christianæ, laudibus feruntur. Igitur semel Veritate constituta extra periculum, multo præstat, ad hasce & similes contumelias tacere, ac pergere Veritatem ita exponere, quasi aliud nihil homines a nobis postularent; nisi ut eam in quam maxima luce collocemus, & quasi sola ejus ignoratio impediret quominus ab omnibus admitteretur.

Hanc in rem, egregium exstat monitum Proverb. XXVI, 4. ubi duæ sententiæ, specie tenus, contrariæ confirmant ea quæ a nobis dicta sunt. *Ne respondeas*, inquit Sapiens Hebræus, *stulto*, *secundum stultitiam ejus*, *ne etiam tu ei similis habearis*. *Stultus* hic dicitur, more sollemni Sacrorum Scriptorum, vir malus; qui non est similibus armis oppugnandus iis quibus utitur, nisi ei pares nequitia haberi velimus, a bonis atque eruditis viris. At iis verbis contrarium, primo intuitu, monitum continuo subjicitur: *Responde stulto*, *secundum stultitiam ejus*, *ne sibi sapiens videatur*. Ergone licet *stulte* respondere *stulto?* Minime vero, sed hoc vult Salomon ita esse homini respondendum, ut intelligat se esse malum virum, si modo quid-

quam

quam intelligere possit. Si stultitia ejus ea sit, ut silentio melius arguatur, qualem antea descripsimus; silentio respondendum. Versus est senarius Comici Græci, quo verissime *multis silentium responsionis loco esse* statuitur:

Πολλοῖς ἀπόκρισις ἡ σιωπὴ τυγχάνει.

Vel si quis malit Christianum præcipientem audire, vacuas aures præbeat *Justino* (*) *Martyri*, dicenti oportere, *adversus clamantem, silentium tenere, & eum ridere qui putat se* (clamore) *quempiam vicisse; non vero actum stulto inanis gloriæ studio, propter præsentes & audientes, mutuis verborum conflictationibus, æque ac illos, eorum insultum confirmare. Secum quidem reputet*, inquit, *qui male loquutus est, me injuria eum adfecisse; nec voluisse reponere, vel ausum non esse. Adsint vero mihi, propter bonam conscientiam, lætitia & tranquillitas.* Πρὸς δὲ τὸν κεκραγότα σιωπητέον, καὶ τὸν οἰόμενον περιγεγονέναι τινὸς καταγελαστέον, μὴ ὑπὸ κενοδοξίας ματαίας ἀγόμενον, διὰ τοὺς παρόντας καὶ ἀκούοντας, ταῖς τῶν λόγων ἀνθυποφοραῖς ἐπίσης καὶ αὐτῶν ἐπανάστασιν κρατύνειν. λογιζέσθω ὁ κακῶς ἀποφαινόμενος, ὅτι καὶ ἠδίκησα, καὶ ἀντειπεῖν οὐκ ἠθέλησα, ἢ οὐκ ἐτόλμησα. παρείη δέ μοι, διὰ τὴν ἀγαπὴν συνείδησιν, εὐφρασία καὶ ἀνάπαυσις.

Hæc

(*) *In Ep. ad Zenam & Serenum, p.* 504.

Hæc ſibi dicat quisquis ex circumſtantiis judicat ſatius eſſe tacere, quam diutius fruſtra diſceptare.

Sed & aliter *reſpondere* poſſumus *ſtulto ſecundum ſtultitiam;* ſi, nimirum, omiſſis omnibus quæ peculiariter pertinent ad hominem, cum quo nobis res eſt, non ſecus ac ſi numquam in rerum natura fuiſſet, Veritatem, quam oppugnat, ita proponamus atque illuſtremus, ut bonis omnibus ac eruditis ſatisfaciamus. Rationem enim habemus ejus *ſtultitiæ*, dum nihil proferimus, quo in furorem, ut fit, acriore altercatione poſſit converti. Eo modo reſpondemus, qui *ſtultitiæ* convenientiſſimus eſt, dum hominem manſuete docemus quod prorſus ignorat, aut non ſatis animadvertit. Ea ratione, revocabitur a *ſtultitia*, ſeu nequitia ſua, aut nullo modo poterit a nobis curari.

Ex hiſce omnibus poſſum jam, niſi fallor, confidenter colligere minus neceſſarias confutationes calumniarum, neque æqualibus, neque poſteris prodeſſe; neque Adverſarios, ad melius de nobis ſentiendum, adducere.

V. Superest ut oſtendam inutiles illas ſui purgationes, quæ non poſſunt inſtitui, niſi alii Calumniæ convincantur, Deo parum eſſe gratas; quamquam hoc ex iis, quæ jam a me dicta ſunt, facile colligi poteſt. Verum idem paullo apertius & copioſius oſtendendum.

Nemo quidem, qui Evangelia legerit, dubitare poteſt quin Deus ultionem vetuerit, a

nimisque ultionis cupidi ſint ei parum grati; ideoque ſi calumnias confutare, præter neceſſitatem, genus ſit ultionis, dubium non erit an ſit a Deo vetitum. Sed erunt qui putent confutare Adverſarium, quotieſcumque ab eo calumniis adpetimur, inculpatæ eſſe tutelæ, ut loquuntur Jurisconſulti: quemadmodum licet, per Leges, toties nos tueri, quoties cum telo quiſpiam in nos irruit. At magnum eſt inter hæc diſcrimen, nam niſi telum illico repellam, aut declinem, aut aliqua ratione fugiam, corpore excipiendum eſt, & vulnus exſpectandum; cum malignæ Linguæ calumnias poſſim perſæpe negligere, ſine ullo exiſtimationis, aut fortunarum detrimento, quod quotidiana experientia intelligere licet. Tunc temporis, ſatis habere debeo calumniæ opponere mores ad ſanctiſſimam Evangelii normam exactos, & Scripta in quibus utilem quampiam Veritatem aut invenire, aut illuſtrare coner, abſque ulla Adverſariorum inſectatione. Semel aut iterum nos ac noſtra defendiſſe ſatis eſt, ut extra periculum verſemur. Diſceptatio omnis diuturnior in rixam tandem convertitur, in qua licet calumnias inimicorum veris repellamus reſponſis, ultionis cupiditas, perpetua fere iræ comes, transverſos nos agit.

Virtus non eſt ſilere cum nemo nos laceſſit, aut iis non detrahere, qui de nobis nihil dicunt, vel etiam honorifice loquuntur; virtus eſt Linguæ noſtræ moderari, quando alia peſtilente Lingua laceramur, eaque uti ad bene precandum, quando diris devovemur. Sic

præ-

præcipit Chriſtus : (*) *Benedicite maledicentibus vobis —— Orate pro calumniantibus vos ;* ſic ipſe ſe geſſit, cum pro Judæis, quorum crudelibus maledictis laceſſebatur, divinam miſericordiam invocabat. (†) *Cum conviciis impeteretur, convicia non reddebat.* Hoc præcepto atque exemplo damnantur non tantum, qui in homines innocuos & recte ſentientes mendaciis debacchantur; quod eſt extremæ nequitiæ ; ſed illi etiam qui Innocentiam ac Veritatem nimis acriter tuentur, ita ut non tantum eas defendere, ſed etiam Adverſarios vice verſa lædere voluiſſe videantur ; ſicut fere contingit, in diuturniore diſceptatione.

Quod cum ita ſit, miror ſane Theologos fuiſſe & eſſe, qui (ut concedamus illis Veritatem atque Innocentiam ab eorum partibus ſtare) ceteros omnes homines acerbitate, in defendendis ſuis partibus, laceſſendisque alienis, longe ſuperant ; ita ut non modo dogmata, ſed etiam homines ipſos nominatim acerbiſſime traducant. Dictitant quidem ſe rectam ſententiam defendere, falſam adgredi, gloriam divinam agi in defenſione Veritatis, & confutatione Erroris. Concedamus, inquam, hæc eſſe vera. An minus Veritatem defendebat, Erroremque minus oppugnabat Jeſus Chriſtus? An minus agebatur gloria divina, in diſceptationibus, quæ ei erant cum Judæis? Attamen in neminem nominatim invectus eſt, nec ſi genera malorum hominum & errantium graviter notavit, ſingulos uſpiam nominibus adpellatos confutavit, quamvis ab iis



(*) *Matth. V, 45.* (†) *1 Petr. II.*

iis lacessitus. Magistri instar, calumniis adpetiti Apostoli exemplum ejus & præcepta sequuti sunt ; quos , si velimus serio Christiani esse, nos imitari necesse est, prout ipsi Christum sunt imitati.

In eodem Sermone, in quo Christus nos vetat ἀντιλοιδορεῖν, jubet, ut diximus, nos pro iis precari ; hoc est , ad Deum precibus confugere , non ut de maledicis supplicium sumat , sed ut , remissa pœna , eos cum Veritate ac Virtute, a quibus cæco adfectu diffident , reconciliet, quod si fiat non possunt non redire in gratiam & nobiscum ; quis enim Veritatis ac Virtutis amans, ullum mortalium odio habere potest ; nedum ut sit infensus similia secum sentienti ? Itaque dum pro solis Adversariis Deum orare videmur, tranquilliorem etiam nobis vitam , nec maledictis perpetuis impetitam rogamus. Rem etiam bonis omnibus jucundissimam a Deo petimus ; hoc est, ut minuatur quidem malorum numerus , sine cujusquam pernicie , augeatur vero bonorum, quibuscum amice vivamus, atque in posterum benefactis, non maledictis , decertemus.

Præterea cum Christus nos ubique jubeat misereri omnium , qui misericordia nostra indigent ; quos dicemus esse ἐλεεινοτέρους iis , qui adfectu præpediti in manifestam perniciem ruunt ? Quis autem dubitet quin exitium maneat , non modo eos , qui contumaciter factis nocent iis , quos sibi eadem natura , idemque Servator commendarunt ; sed etiam eos , qui maledictis Innocentiam ac Veritatem insectantur ? Quid potest magis miseri-

ricordiam nostram commovere, quam si reputemus conviciatores, dum nobis nocere frustra conantur, sibi longe maximas pœnas a divina justitia contrahere, ac re ipsa subire; si contingat eos dum adfectibus ita indulgent, ad reddendam rationem factorum ac dictorum a Deo vocari? An possumus de tanto eorum periculo cogitare, quin simul corpore & animo pro iis contremiscamus? Existimabant vulgo Judæi facta tantum, quale est homicidium, a Deo punienda; at Christus eos docuit *eum qui indignatur fratri*, nec vult redire in gratiam; *eum qui dixerit levem esse* hominem, nec potest adduci ad loquendum honorificentius, ejus virtute aut reditu ad saniorem mentem; eum denique qui *stultitiæ*, hoc est, nequitiæ, insimulato numquam ignoscet, exspectare oportere supplicia, in altera vita, quorum minimum est multo gravius pœna capitis, quæ de homicidis ab hominibus sumitur. Igitur pro iis, qui conviciandi consuetudine se in laqueos tantarum pœnarum induunt, orare Deum numquam desinamus, si velimus misericordium numero haberi; & contra eorum convicia, orationibus dumtaxat, apud Deum, certemus.

Claudam hanc Dissertationem verbis Augustini, e Sermone (*) CCCLVII. de laude Pacis; quem virum non minus libenter laudo Christum & Apostolos sequentem, quam defero a recta via aberrantem: *Nemo*, inquit, *suscipiat cum aliquo litem, nemo velit nunc vel ipsam suam fidem altercando defendere, ne de li-*



(*) *In Editione Benedictinorum Parisina.* T. V.

*te scintilla nascatur, ne quærentibus occasionem occasio præbeatur. Prorsus convicium audis, tolera, dissimula, præteri. Memento curandum. Videte quam blandi sint Medici eis, quos etiam mordaciter curant. Audiunt convicium, præbent medicamentum, nec reddunt convicium convicio.* (*) *Verbum sit verbo; ut unus sit curandus, alter curet; non duo litigantes. Fertote obsecro, fratres mei. Sed non fero, inquit, quia blasphemat Ecclesiam. Hoc te rogat Ecclesia ut feras, quia blasphematur Ecclesia. Detrahit, inquit, Episcopo meo, crimen dicit in Episcopum meum & taceo? Crimen dicat, & tace, non agnoscendo, sed ferendo. Hoc præstas Episcopo tuo, si pro illo, illo tempore, non miscearis. Intellige tempus, habeto consilium. Deum tuum quanti blasphemant? Tu audis, & ille non audit? Tu nosti & ille non novit? Et tamen facit oriri solem super bonos & malos, & pluit super justos & injustos. Ostendit patientiam, differt potentiam. Sic & tu agnosce tempus; noli provocare tumentes oculos ad turbandos se ipsos. Amator pacis es? Sic tibi in corde bene cum dilecta tua. Et quid agam? Habes quid agas. Tolle jurgia, convertere ad preces. Noli conviciis repellere convicíantem, sed ora pro eo. Loqui vis illi, contra illum; loquere Deo, pro illo. Non tibi dico quod taceas; sed elige magis ubi loquaris, apud quem tacitus loqueris, labiis clausis, corde clamante. Ubi non te videt, ibi esto bonus pro illo. Illi autem pacem non amanti & litigare volenti, responde pacificus: quidquid vis dicas, quantum libet oderis, ut placuerit detes-*

*te-*

(*) Forte, *Utendum sic verbo.*

*teris, frater meus es. Quid agis ut non sis frater meus? Prorsus bonus malus, volens nolens, frater meus es? Et ille: unde sum frater tuus, hostis, inimice? Sic quomodo ista dicis frater meus es. Mirum videtur: odit, detestatur & frater est? Illi enim vis credam nescienti quid loquatur? cujus opto sanitatem, ut lucem videat & fratrem agnoscat. Illi ergo vis credam, quia non sum frater ipsius, quia detestatur, quid odit, & non potius ipsi luci? Audiamus quid dicat ipsa lux. Prophetam lege:* (*) Audite, qui pavetis, verbum Domini. *Spiritus Sanctus loquitur per Isaïam Prophetam:* Audite, qui pavetis, verbum Domini. Dicite: Fratres nostri estis, eis qui vos oderunt, & qui vos detestantur. *Quid est? radiavit lux, ostendit fraternitatem; & adhuc dicit lippus, claude fenestram.*

Hæc aliaque similia, quæ omnia Scriptis mandare visum non est, meditatus eram, Vir Reverende, non tam ut alios commonefacerem officii; quam ut altius animo ipse meo infigerem saluberrima Evangelii præcepta, & rectæ Rationis placita; quo melius ea observem, & si quid antea a me in mansuetudinem, nimia importunitate adversariorum commoto, peccatum est, id in posterum emendem. Eadem opera, intelligere poterunt boni atque æqui Lectores, cur tam sæpe, & tam inhumane a nonnullis Theologis lacessitus ad arma illico non cucurrerim, nec omnia confutare singillatim adgressus sim; aut cur posthac sim, prout res postulare videbitur, silentio aut Scriptis minime Eristicis famam meam defensurus.

 Non

(*) *Isaï. LXVI, 5. secundum LXX.*

Non is equidem ſum, qui me numquam erraſſe putem, aut nolim, a quocumque monear, emendari; verum hoc ſcio, mihi hunc ſemper fuiſſe animum ut Veritatem illuſtrarem ac tuerer, & præſertim Veritatem Hiſtoriæ ac Doctrinæ Jeſu-Chriſti, ejusque Apoſtolorum; a qua numquam, niſi imprudens, receſſi, aut poſthac recedam. Hanc veriſſimam Hiſtoriam, hanc ſanctiſſimam doctrinam, unicum fundamentum fidei noſtræ, unicam normam dictorum & factorum noſtrorum, ut ſemper me habere profeſſus ſum, ita & in poſterum profitebor. Faxit vero Deus, propter cruentum unigeniti ſui Filii ſacrificium, ut non modo ore hæc profitear, ſed & moribus exprimam; præſertim in iis, quæ ad manſuetudinem & patientiam Chriſtianam pertinent! Omnes ſimul boni viri, Pacisque ac Veritatis amantes, mecum, toto animo,

*Deum* (*) *precentur, det gregi ſuo lucem,*
*Hic quanta ſat eſt; hac det eſſe contentum;*
*Det non loquentes ſua reperta doctores;*
*Det conſonantes ſemper omnium linguas,*
*Aut corda ſaltem; præpotente vi flammæ,*
*Caliginoſas litium fuget ſordes,*
*Ut ſpiret unum tota Civitas Chriſti,*
*Vitamque terris adprobet, fidem cœlo.*

(*) *Ita claudit* Grotius *Epicedium* Jac. Arminii.

F I N I S.

I N-

# INDEX I.

## Scriptorum qui in ARTE CRITICA illuſtrantur, aut emendantur, aut quorum Scripta expenduntur.

*Primus numerus Partem Criticæ, ſecundus Sectionem, tertius Caput, quartus Paragraphum. T. 3. Tomum tertium, Ep. Epiſtolam, p. paginam ſignificat.*

### A.

C.

# SCRIPTORUM.

## C.

nimirum, eum *Mitylenen* cum *Melita* miscuisse in notis ad *Hieronymi* Epist. ad *Oceanum*, quæ mihi memoria exciderat. Hæc inconstantia, in duabus paginis, an sit hominis candidi viderit ipse. Quod mirabilius est, hic novus *Erasmi* patronus, qui mihi conviciatur, quod ausus fuerim peccata ejus Geographica retegere, postea eum graviter accusat corrupti *Hieronymi*, in cujus MSS. legitur *Melita*, pro quo *Erasmus* non modo imperite, sed & male fide, substituerit *Mitylenen*. Non poterat melius confirmari quod dixi de imperitia *Erasmi* in Geographicis, si verum sit. Sed quamvis in MSS. Anglicanis ita legeretur, non sequeretur eamdem fuisse lectionem eorum, quos habuit *Erasmus*. Triumphat Anonymus, quod inspexerit MSS. quos non vidi, quasi res sit laude digna in Bibliotheca oculis suis aliquando esse usum. Cetera quæ habet de *Hieronymo* nihil ad rem faciunt. Postea, pro solita audacia sua, in dubium revocat an *Cotelerius* vocem κεφαλαιωδῶς *capitulatim* verterit, quod locum non indicarim, in Præfatione ad Patres Apostolicos. At non exstat in primis illis Epistolis, sed alibi, quod quærat; neque enim rationem dictorum meorum reddere volo homini, qui audet negare quod ipse sentit, ut vidimus in *Erasmo*. Quæ habet in sequentibus, de Græca Lingua Scriptorum Ecclesiasticorum, perinde sunt ἀπροσδιόνυσα, produntque hominem qui nihil pensi habet quid dicat. Malim me ad θηριομαχίαν damnatum, quam cum ejusmodi hominibus certare. Triumphent, si libeat, de sensu communi, victo ac debellato; non invidebo.



*Esaïas*

G.

G.



H.

I.



*Jere-*

L.



*Luc.*

O.



P.

*Pla-*

rendum huic paragrapho; quæ Scheda, cum inter edendum hoc opus exciderit, & postea a me sit inventa, hic reponetur. Sic ergo loquitur, non procul a fine vitæ Aristidis. Ὁ δὲ Ἀριστείδης ὥρκισε μὲν τοὺς Ἕλληνας, καὶ ὤμοσεν ὑπὲρ τῶν Ἀθηναίων, μύδρους ἐμβαλὼν ἐπὶ ταῖς ἀραῖς, εἰς τὴν θάλατταν· ὕστερον δὲ τῶν πραγμάτων ἄρχειν ἐγκρατέστερον, ὡς ἔοικεν, ἐκβιαζομένων ἐκέλευε τοὺς Ἀθηναίους τὴν ἐπιορκίαν τρέψαντας εἰς αὐτὸν, ᾗ συμφέρει χρῆσθαι τοῖς πράγμασι. καθόλου δὲ ὁ Θεόφραστός φησι τὸν ἄνδρα τοῦτον περὶ τὰ οἰκεῖα καὶ τοὺς πολίτας ἄκρως ὄντα δίκαιον, ἐν τοῖς κοινοῖς πολλὰ πρᾶξαι πρὸς τὴν ὑπόθεσιν τῆς πατρίδος, ὡς συχνῆς ἀδικίας δεομένης· καὶ γὰρ τὰ χρήματά φησιν ἐκ Δήλου βουλευομένων Ἀθήναζε κομίσαι, παρὰ τὰς συνθήκας, καὶ Σαμίων εἰσηγουμένων εἰπεῖν ἐκεῖνον, ὡς οὐ δίκαιον μὲν συμφέρον δὲ τοῦτ' ἐστί: *Aristides adegit Græcos jurejurando & ipse pro Athenienfibus juravit; ac post imprecationes projecit in mare candentes massas ferreas. Post cum res eos cogeret, ut videtur, intendere vim imperii, hortatus est Athenienses ut perjurium In ipsum verterent, & rebus uterentur, prout conduceret. Paucis ut dicam, ait Theophrastus hunc virum in rebus privatis & erga cives summe justum, in Republica tamen, multa fecisse prout postulabat patria, quasi multa injustitia indigens. Etenim cum deliberaret an pecunias ex Delo contra fœdus Athenas deportaret, & rei auctores essent Samii, illum dixisse hoc quidem justum non esse, sed tamen utile.*

*Salomonis* Proverb. XXVI, 4, 5. illustratur. Differt. Eth. p. 335.

*Salomonis* Sapientia perperam ei adscripta, P. III. S. 2. C. VI, 14. sunt in ea imitationes Ethnicorum Scriptorum, *Ibid.* T. 3. Ep. IX, 251. alii libri Salomoni adscripti, P. III. S. 2. C. III, 16

*Sama-*

# INDEX II.

*Vocum & Loquutionum Hebraïcarum.*



ל.

# INDEX II.

# INDEX III.

## *Vocum & Loquutionum Græcarum.*

### A.

# INDEX III.



B.



Γ.



Δ.



Δαι-

## K.



## Λ.

## M.



## N.



## Ξ.



## O.

## Σ.



## T.

## Υ.



## Φ.



## Χ.

## Ψ.



## Ω.

# INDEX IV.

## *Rerum & Verborum Latinorum.*

### A.

Cæ-

in

D.

*Epis-*

 Lin-

Glos-

# INDEX IV.

## H.



Hip-

## I.

In-

# L.



Lo-

ctus

Nu-

O.



*Ori-*

*Phi-*

*Pur-*

## Q.



## R.

*Sel-*

T.



Ti-

# INDEX IV.

## V.



Ve-

FINIS.

JOAN.

# JOANNIS CLERICI
# OPERA
## AD ANNUM MDCCXI.

### MDCLXXXIV.

*Davidis Clerici*, in Genevensi Academia olim Linguarum Orientalium Professoris, *Quæstiones Sacræ*, in quibus multa Scripturæ loca, variaque Linguæ Sanctæ Idiomata explicantur. Accesserunt similis argumenti Diatribæ *Stephani Clerici*. Edidit & Adnotationes adjecit *Joannes Clericus St. F.* Amstelodami apud *Henr. Wetstenium*, in 8.

Entretiens sur diverses matieres de Théologie, *Part.* II. *où l'on voit quelle est l'étenduë de nos connoissances Metaphysiques & de leur Usage dans la Religion, avec une explication des Chapitres IX, X. & XI. de l'Epître de S. Paul aux Romains.* Chez le même, in 12.

### MDCLXXXV.

*Sentimens de quelques Théologiens de Hollande sur l'Histoire Critique du Vieux Testament*, composée par Mr. *Richard Simon* Prêtre ; où, en remarquant les fautes de cet Auteur, on donne divers principes utiles pour l'intelligence de l'Ecriture Sainte. Chez *Henri Desbordes*, & publiez de nouveau chez *P. Mortier* en 1711. in 8. Cette derniere Edition se vend présentement (en 1712) chez *H. Schelte*.

MDCLXXXVI.

## MDCLXXXVI.

Défenſe des Sentimens de quelques Théologiens de Hollande ſur l'Hiſtoire Critique du Vieux Teſtament, *contre la Réponſe du Prieur de Bolleville*, ou de Mr. Simon. A. Amſterdam chez *H. Desbordes*, in 8.

Bibliotheque Univerſelle & Hiſtorique, *dont la plus grande partie depuis l'année* 1686. *jusqu'à l'année* 1690. *ou des XIX. premiers Tomes*, eſt de Mr. *Le Clerc*, in 12.

## MDCLXXXVII.

*Davidis Clerici* Orationes, Computus Eccleſiaſticus & Poëmata. Accedunt *Stephani Clerici* Diſſertationes Philologicæ. Quibus Præfationem præfixit *Joan. Clericus*. Amſtelodami, apud *Henr. Wetſtenium*, in 8.

*Critique* du IX. Livre de l'Hiſtoire de Mr. *Varillas*, où il parle des révolutions arrivées en Angleterre, en matiere de Religion, par Mr. *Burnet*, Docteur en Théologie, traduite de l'Anglois, avec une Préface de Mr. *Le Clerc*. Chez *Pierre Savouret*, in 8. rimprimé en 1688.

## MDCLXXXVIII.

*Défenſe de la Critique* du IX. Livre de l'Hiſtoire de Mr. *Burnet*, Docteur en Théologie, traduit de l'Anglois. Chez le même, in 8.

MDCLXXXIX.

MDCLXXXIX.

Trois *Sermons* de Mr. *Burnet*, Docteur en Théologie, in 12. chez le même.

M D C X C.

Lettre à M. *Jurieu*, sur la maniere, dont *il* a traité *Episcopius*, dans son Tableau du Socinianisme, in 8.

*Thomæ Stanleji* Historia Philosophiæ Orientalis. Recensuit, ex Anglica Lingua in Latinam transtulit, notisque in Oracula Chaldaica & Indice Philologico auxit *Joannes Clericus*. Amstelodami apud *Viduam Swart*, in 8. Subjecta est hæc Historia secundo Tomo Philosophiæ, simúlque ter recusa.

Le *Dictionaire Historique* &c. de *Louïs Moreri*, revû & corrigé, sixiéme Edition, qui a été suivie d'une huitiéme & neuviéme, qui parut en 1702, en 4. Tomes *in folio*.

M D C X C I I.

*Logica*, sive Ars ratiocinandi, auctore *Joanne Clerico*. Amstelodami, apud *J. Wolters*, in 8.

*Ontologia* & *Pneumatologia*, auctore eodem, apud eumdem, in 8.

M D C X C I I I.

*Genesis*, seu *Mosis* Prophetæ Liber Primus, ex translatione *Joannis Clerici*, cum ejusdem Paraphrasi

phrasi perpetua, Commentario Philologico, Dissertationibus Criticis quinque & tabulis Chronologicis, in folio. Iterum recusa est auctior & emendatior, anno 1710. apud *Henr. Schelte*, Amstelodami.

M D C X C V.

*Mosis Prophetæ* Libri quatuor, *Exodus*, *Leviticus*, *Numeri & Deuteronomium*, ex Translatione *Joannis Clerici*, cum ejusdem Paraphrasi perpetua, Commentario Philologico, Dissertationibus Criticis ac Chronologicis Tabulis, in folio, apud eumdem, *opus recusum anno* 1710.

*Physica*, sive de rebus corporeis Libri V. in quibus, præmissis potissimis Corporearum Naturarum Phænomenis ac proprietatibus, Veterum & Recentiorum de eorum causis celeberrimæ conjecturæ traduntur, *in* 8. *apud Huguetanos.*

M D C X C V I.

*Ars Critica*, in qua ad studia Linguarum Latinæ, Græcæ & Hebraïcæ, via munitur, Veterumque emendandorum, spuriorum Scriptorum a genuinis dignoscendorum & judicandi de eorum Libris ratio traditur. Amstelodami apud *Huguetanos*, 2. voluminibus in 8. apud quos iterum auctiora & emendatiora edita sunt anno 1699. & rursus apud *H. Schelte* & *Waesbergios*, anno 1712.

Vie d'*Armand Jean Cardinal de Richelieu*, principal Ministre d'Etat sous Louïs XIII. Roi de France & de Navarre. Seconde Edition en deux Tomes in 12. chez les *Huguetans*. *On attribuë ce Livre à Mr. le Clerc.*

Du

Du Bonheur & du Malheur, en matiere de *Loteries*, chez les mêmes, in 8.

De *l'Incredulité*, où l'on examine les motifs & les raisons générales, qui portent les *Incredules* à rejetter *la Religion Chretienne;* avec deux Lettres, où l'on en prouve directement la verité. A Amsterdam chez *Henri Wetstein*, in 8.

MDCXCVII.

*Compendium Historiæ Universalis* ab initio mundi ad tempora Caroli Magni Imp. conscriptum à *Joanne Clerico*. Apud *Huguetan*. Recusum est Lipsiæ anno 1707. & mox tertiùm edetur.

*Opera Philosophica* in quatuor volumina digesta, Editio secunda auctior & emendatior, in 12. *apud Huguetanos*. Hanc sequutæ sunt tertia & quarta anno 1710. *apud J. Lud. de Lorme.*

MDCXCVIII.

*Novum Testamentum* Domini Nostri Jesu-Christi, ex Editione Vulgata, cum Paraphrasi & Adnotationibus *Henrici Hammondi*. Ex Anglica Lingua in Latinam transtulit, suisque animadversionibus illustravit, castigavit, auxit *J. Clericus*. 2. voluminibus in folio, apud *Huguetanos*.

S. S. Patrum, qui temporibus Apostolicis floruerunt, *Barnabæ*, *Clementis*, *Hermæ*, *Ignatii*, *Polycarpi* Opera edita & inedita, vera & supposititia, una cum *Clementis*, *Ignatii & Polycarpi* actis atque martyriis, *J. Bapt. Cotelerius*, Societatis Sorbonicæ Theologus, ex MSS. Codd. eruit ac correxit, versionibusque & notis illustravit:

ſtravit. Acceſſerunt in hac nova Editione Notæ integræ aliorum virorum doctorum, qui in ſingulos Patres memoratos ſcripſerunt & quorum nomina in Præfatione habentur; item *Gulielmi Beveregii* Codex Canonum Primitivæ Eccleſiæ vindicatus, *Jacobi Uſſerii* Diſſertationes Ignatianæ & *Joannis Pearſonii* vindiciæ Epiſtolarum *S. Ignatii*. Recenſuit & notulas aliquot adſperſit *Joannes Clericus*, apud eosdem 2. vol. in folio.

MDCXCIX.

*Parrhaſiana*, ou Penſées diverſes, ſur des matieres de Critique, d'Hiſtoire, de Morale & de Politique, avec la défenſe des Ouvrages de Mr. L. C. par *Theodore Parrhaſe*. Tom. I. in 8. chez *H. Schelte*, avec un ſecond Tome en 1701.

*Harmonia Evangelica*, cui ſubjecta eſt Hiſtoria Chriſti, ex quatuor Evangeliis concinnata. Acceſſerunt tres Diſſertationes, de annis Chriſti, deque concordia & auctoritate Evangeliorum, auctore *Joanne Clerico*.

*Joan. Clerici* Epiſtolæ Criticæ & Eccleſiaſticæ, in quibus oſtenditur uſus *Artis Criticæ*, cujus poſſunt haberi volumen tertium. Acceſſere Epiſtola de *Hammondo* & *Critica*, ac Diſſertatio, in qua quæritur, *an ſit ſemper reſpondendum calumniis Theologorum*. Amſtelodami apud *Huguetan*. in 8. Iterum recuſæ ſunt anno 1712. apud *Waesbergios* & *H. Schelte*, Amſtelod.

## M D C C.

*Dionysii Petavii* Aurelianensis, e Societate Jesu, Opus de *Theologicis Dogmatibus*, auctius in hac nova Editione Libro de Tridentini &c. & notulis *Theophili Alethini* S. J. A. E. quas una cum ejusdem Præfatione curavit Bibliopolas nancisci *J. Clericus*. Amstelodami, apud *Huguetanos*, 6. voluminibus in folio.

*Joannis Clerici* Quæstiones Hieronymianæ, in quibus expenditur *Hieronymi* nupera Editio Parisina, multaque ad Criticam Sacram & Profanam pertinentia agitantur. *Amstelodami apud J. Lud. de Lorme* in 12.

## M D C C I.

*Hesiodi Ascræi* quæcumque exstant, Græce & Latine, ex recensione *Joan. Clerici*, cum ejusdem animadversionibus. Accessere notæ *Jos. Scaligeri*, *Danielis Heinsii*, *Francisci Guieti* & *Stephani Clerici*, nec non, in altero volumine, *Joan. Georgii Grævii* Lectiones Hesiodeæ nunc auctiores & *Dan. Heinsii* introductio in doctrinam Operum & Dierum. Cum indice *Georgii Pasoris*. Amstelodami apud *Huguetanos*.

*Matthiæ Martinii* Lexico Philologico præfixa Dissertatio Etymologica, in Edit. Amstelodamensi apud *J. L. de Lorme* 2. volum. in folio.

## M D C C I I.

*P. Cornelii Severi* Ætna & quæ supersunt Fragmenta, cum notis & interpretatione *Jos.*

*Scaligeri, Frid. Lindenbruchii* & *Theodori Goralli*. Acceſſit *P. Bembi* Ætna Amſtelodami in 8. apud *Henr. Schelte*.

*C. Pedonis Albinovani* Elegiæ tres & Fragmenta, cum interpretatione & notis *J. Scaligeri, Frid. Lindenbruchii, Nic. Heinſii, Theod. Goralli* & aliorum. Apud eumdem in 8.

## M D C C I I I.

*Appendici Auguſtinianæ* præfixa Præfatio, & ſubjectæ Animadverſiones *Joannis Phereponi* in *Auguſtini* Opera, Amſt. apud *P. Mortier*, in fol.

Præfatio in *Operis Petaviani* de Doctrina Temporum iteratam Editionem, ubi de ratione totius operis agitur, proferunturque animadverſiones *Davidis Blondelli* & aliorum in *Petavium*. Amſt. apud *Huguetanos*, 3. vol. in folio.

*Le Nouveau Teſtament* de Nôtre Seigneur Jeſus-Chriſt, traduit ſur l'Original Grec, avec des remarques, où l'on explique le Texte, & où l'on rend raiſon de la Verſion. En 2. Volumes in 4. Chez *J. L. de Lorme*. à Amſterdam.

*Bibliotheque Choiſie*, pour ſervir de ſuite à la *Bibliotheque Univerſelle*, qui continuée juſq'à préſent (Decembre 1711.) contient vingt trois volumes, in 12. chez *H. Schelte*, à Amſterdam.

## M D C C I V.

In Indicem Geographicum, Geographiæ Sacræ *Nic. Samſonis* notæ. Amſtelodami apud *Franciſc. Halmam*, in folio.

Onomaſticon Urbium & locorum Sacræ Scripturæ, ſeu liber de locis Hebraïcis, Græce

primum ab *Eusebio Cæsariensi*, deinde Latine scriptus ab *Hieronymo*; in commodiorem vero ordinem redactus, variis additamentis auctus, notisque & Tabula Geographica Judææ illustratus, opera *Jacobi Bonfrerii* S. J. Recensuit & animadversionibus suis auxit *Joannes Clericus*. Accessit huic editioni *Brocardi* Monachi, ex ordine Prædicatorum descriptio Terræ Sanctæ. Apud eumdem, in folio. *Perfectum a Clerico eodem anno, & Bibliopolæ traditum, quamvis serius editum.*

## M D C C V.

*Atlas Antiquus*, Sacer, Ecclesiasticus & Profanus, in quo Terræ Sanctæ variæ divisiones, Diœcesium Patriarchalium & Episcopalium limites, orbisque universus antiquus excultus & divisus, oculis subjiciuntur; collectus ex Tabulis Geographicis *Nicolai Samsonis*. ejusque filiorum & aliorum celeberrimorum Geographorum. Tabulas ordine collocavit & emendavit *Joan. Clericus*. Amst. apud *P. Mortier*, in folio.

## M D C C V I I.

*Desiderii Erasmi* Roterodami Opera omnia, emendatiora & auctiora, ad optimas editiones, præcipue quas ipse *Erasmus* postremo curavit, summa fide exacta, studio & opera *Joannis Clerici*, cum ejusdem & aliorum notis; in decem Tomos distincta. Cum Indicibus totius Operis copiosissimis. Quid porro huic editioni præ ceteris accesserit, Præfationes singulorum voluminum docebunt. Lugd. Batavorum cura & impensis

penſis *Petri vander Aa*, in folio. *Primum volumen proſtitit ab anno* 1703. *ſed anno demum* 1706. *vendi cœpere decem volumina.*

MDCCVIII.

*Veteris Teſtamenti Libri Hiſtorici*, Joſua, Judices, Rutha, Samuel, Reges, Paralipomena, Esdras, Nehemias, & Eſthera. Ex translatione *Joannis Clerici*, cum ejusdem commentario Philologico, Diſſertationibus Criticis, & Tabulis Chronologicis. Amſtelodami, apud *Henr. Schelte*, in folio.

MDCCIX.

*Sulpicii Severi* Opera omnia, in duos Tomos diſtributa, quorum prior continet ante hac edita, cum notis *Joan. Vorſtii*, alter Epiſtolas antea cum reliquis operibus nondum editas, ex recenſione & cum notis *Joan. Clerici*. Lipſiæ apud *Thom. Fritſch.* 1709. in 8.

*Hugo Grotius de Veritate Religionis* Christianæ Editio adcuratior, quam recenſuit notulisque adjectis illuſtravit *Joan. Clericus*; cujus acceſſit de eligenda inter diſſentientes Chriſtianos ſententia Liber Unicus. Amſtelodami, apud *Franciscum vander Plaats*, in 8.

Præfatio in Opera *Francisci Vavaſſoris*, in folio, apud *Petrum Humbert*, Amſtelodami.

*Menandri* & *Philemonis* Reliquiæ quotquot reperiri potuerunt, Græce & Latine, cum notis *Hug. Grotii* & *Joannis Clerici*, qui etiam novam verſionem omnium adornavit, indicesque adjecit. Amſtelodami apud *Thom. Lombrail*, in 8.

*Titi Livii* Historiarum quod exstat, cum integris *Joan. Freinshemii* Supplementis emendatioribus & suis locis collocatis, Tabulis Geographicis & copioso indice. Recensuit & notulis auxit *Joan. Clericus*, 10. vol. in 8. Amstelod. apud *H. Wetstenium* & Trajecti apud *Gulielm. van de Water*.

M D C C X I.

*C. Sallustii Crispi* Vita præfixa Editioni Cantabrigiensi *Jos. Wassæi*, in 4.

*Æschinis Socratici* Dialogi tres, Græce & Latine, ad quos accessit quarti Latinum fragmentum. Vertit & notis illustravit *Joan. Clericus*, cujus & ad calcem additæ sunt Silvæ Philologicæ, cum omnium Indicibus necessariis. Amstelodami apud *Pet. de Coup*. in 8.

*Præfatio* Emendationum in fragmenta *Menandri* & *Philemonis* a *Philargyrio Cantabr*. Apud *H. Schelte* in 8.

A *Clerico* exspectantur nunc duo volumina in folio, *Hagiographa* & *Prophetæ*, cum Paraphrasi perpetua, Commentario Philologico, Dissertationibus quibusdam Criticis & Tab. Chronolog. quibus scribendis incumbit.

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google